

**Dissertatio inauguralis medica de senum affectibus ... / publice ventilabit  
Johannes Conradus Michaelis.**

**Contributors**

Michaelis, Johann Conrad.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1710]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jjqbyt2p>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**SENUM AFFE-  
CTIBUS,**

Quam

DEO CLEMENTER BENEDICENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, RELIQUA:  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.  
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. p. t. FACULT. MEDIC.  
DECANO SPECTATISSIMO,

*DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO  
omni observantiae cultu prosequendo.*

**PRO GRADU DOCTORALI**

Summisque in ARTE Salutari Honoribus Juribus & Privilegiis  
legitime obtinendis

*D. April. Anno MDCCX.*

IN AUDITORIO MAJORI  
publice ventilabit

**JOHANNES CONRADUS MICHAELIS,**  
Wormatiâ Palatinus.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

SENILUM AFFE

CTIBUS

Quam

DEO CLEMENTER BENEDICENTE

RECTORIS UNIVERSITATIS

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DN. PHILIPPO WILHELMO

PRINCIPIS RUSSIAE, MARSHALLI IMPERII

DEBURGICO AC EDUCATIONIS

PROVINCIAE GUBERNATORE, PRAESIDE

IN ALMA REGIA UNIVERSITATE

PRAESIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLI

M.D. D. E. I. U. S. D. ET REG. NAT. CUR. COLLEG. BOYI. D. N. G. M. D. C. C. L. I. I. I. I. I.

ACAD. NAT. CUR. COLLEG. BOYI. D. N. G. M. D. C. C. L. I. I. I. I. I.

DEC. / NO. SECT. I. I. I. I. I.

DN. PATRONO, PRAESIDI, AC PRINCIPALI

DE BURGO AC EDUCATIONIS

PROVINCIAE GUBERNATORE, PRAESIDE

IN ALMA REGIA UNIVERSITATE

PRAESIDE

DN. PHILIPPO WILHELMO

PRINCIPIS RUSSIAE, MARSHALLI IMPERII

DEBURGICO AC EDUCATIONIS

PROVINCIAE GUBERNATORE, PRAESIDE

IN ALMA REGIA UNIVERSITATE

PRAESIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLI

M.D. D. E. I. U. S. D. ET REG. NAT. CUR. COLLEG. BOYI. D. N. G. M. D. C. C. L. I. I. I. I. I.

ACAD. NAT. CUR. COLLEG. BOYI. D. N. G. M. D. C. C. L. I. I. I. I. I.

DEC. / NO. SECT. I. I. I. I. I.





## PROOEMIUM.



*Uid est, interrogat Seneca, quod nos alio tendentes alio trahit? Et subjicit ibi quidem satis apposite responsionem, quam neque nos in dubium adducere susceperimus. Et certe, quadraret illa etiam ex parte ad negotium, quod nunc in animo habemus evolvere; dum sa-*

nè vix alia certior ratio assignari potest, quam obrem ab aliis quidem laudetur hoc, & elogiis ornatur, ab aliis autem contumelia afficiatur, atque contemptim habeatur, nisi sola illa sanæ rationis aberratio & eclipsis, quæ ne quidem diversos, nedum magnopere differentes, respectus, intelligere, aut æstimare, valeat. Quis enim nescit, & vel inter scholarum scabella non audivit, jam de Fragicis cothurnis serio concelebratam, **SENECTUTIS** laudem; ubi vel solum illud: σοφώτατον χρόνος vel trium: ætatum incremento illustris, *Nestoris* prudentia: vel illud: *Mens, & ratio, & consilium in senibus est*: etiam pueris occurrunt; Jam vero illud è Comico focco, senes pro pueris decipi, etiam à pueris, & exagitari, jam pro bis pueris declarati. Non tamen hoc jam agemus, ut Philosophi nostri encomium, huic mortalitatis à se ipsâ dis-



fidio, vindicemus; imo nec illud quidem, ut ipsam ejus quæstionem, ad senectutem referamus, quæ nos etiam aliò tendentes aliò trahat: sed nostro potius strictiori considerandi scopo invigilantes, illa maxime elucidare cordi habebimus, quæ Senectutem Medicæ considerationi velut objiciunt, & non tam præjudiciis, quam verioribus quibusdam respectibus aliqua huic ætati imminencia incommoda, consiliis & auxiliis Medicis omnino offerunt & commendant. Unde quidem, potius ipsa deductione quam prolixo præloquio, prosequemur **SENUM AFFECTUS**, nempe qui Medicæ imprimis curæ & tutelæ subsidia præstolari sentiuntur, eorumque tam historiam atque veriores causas, quam convenientia etiam illis consilia & auxilia, commemorare, cordi habebimus. Deum autem T. O. M. ut proposito nostro ex alto benedicere dignetur, supplicibus precibus invocamus.

I.

**U**T in tota vita humana, non satis consideratè & cum justa circumspectione observatæ adeoque firma & constante experientia stabilitæ, assertiones, eidem fundamento innituntur, quod adolescentulis evertere & everrere nituntur seduli moderatores; nempe temerariæ conclusionis, ex inconsultis præmissis educendæ, præcipitantia: Ita vanum certè esset, inanibus votis optare, ne hæc labes tam latè mortalia ingenia obsideret: postquam nihil certius notum, & vel æternæ veritati consentaneum existit, quam hoc ipsum, quod ex illis, quæ publicè, & à maxima hominum plebe, pro ratis habentur, plurima hoc defectu laborent, ut non nisi è minimâ sui parte, & sub certis solum aliquibus respectibus, tanquam ex obliquo, aliquem veritatis radium, vel exhibeant, vel admittant. *Senectutem ipsam esse morbum*, tam communis est opinio, ut etiam



in proverbium planè abierit. Cui cum sano sensu, universalis etiam experientia passim contradicat, mirari fas esset, unde hoc initia sua sumserit? nisi adhuc periculosius quiddam, jam ab ipso quasi summo Artis Antistite orbi persuasum esset, nempe, quod *Totus homo, à nativitate, morbus existat.* Quid mirum ergo, si etiam *senex?* & si ab ipsa *nativitate*, etiam ultimo, & *denascendi* tempore.

II.

Quamvis autem nemo ignoret, quod utique *Senium*, *impotentias* aliquas, & *activitatum* juvenilium decremента, secum ferat: Vix tamen propterea, salva æquitate ita simpliciter *morbida* passioni hoc adscribi merebitur: Nisi quidem etiam *infantiam*, *pueritiam*, *adolescenciam*, eadem notâ afficere velimus; eodem argumento, quod hæ ætatum periodi, variis energiis impares existant, quæ *virili* vigori competere sentiuntur. Enimvero, ut in scholis eloquuntur, quod magis & minus non variet speciem: Ita certe in his etiam negotiis, nullo æquo jure, tota statim species tolletur, imò contrarium ejus, nempe *morbus*, in locum *sanitatis* ingeretur, si non eadem, quæ *Vir* vegetus valet, etiam *senex*, *adolescens*, *puer* possit. Nec etiam *tenerior* quicumque, *morbo* propterea laborare censendus erit, si non eadem possit, quæ *bajulus* robustus.

III.

Unde certe ante omnia, in hujusmodi negotiis, prudenter dispicere convenit, quid revera, tanquam magis *directè* arque *propriè*, alicui adscribendum veniat; quid vero per *indirectum*, & magis quacunque *occasionalis* ratione, eidem impendeat. *Directè* certè considerata senectus, justis progressibus, è sana & robusta beneque ordinatâ prægressa ætate successus suos adeptâ, innumeris, sanè vero numero admodum præpollentibus, exemplis, observatur, citrà verè dicendam *morbidam* læsionem, suæ periodi *activitati*, egregiè insistere: Neque verè *passiva*, energiæ veræ *sanitatis*, impedimenta aut detrimenta, tanquam proprio suo *vitio* experiri. Quem enim circumspectum fallere potest, quod maximus nu-



merus *senum* passim observetur, qui à prægressarum ætatum justo atque verè sano, robore, sed & simul usq; , energiæ sanitatis; ad hanc etiam ætatem, non solum afferant, sed sibi etiam afferant atque servant, ita egregiam constantiam proportionum activitatis sanitatem decentis, ut ad *septuagesimum*, quin *octuagesimum* prorsus annum, verè dicendis morbis, non magis obnoxii sentiantur, quam quicumque demum etiam junior, robore non peculiariter excellens atque eminent. Adeò etiam, ut subinde, ne *intemperantibus* quidem ausibus, & qui nullius ætatis *vigori*, aut potius toti *sanitati* in se sumtæ, impunè objiciantur, ita eximie perturbentur, ut propterea huic soli ætati illud adscribi mereatur, quin etiam juniores ætatis gradus *adolescencia*, nedum *pueritia*, paria, imò majora incommoda, à talibus iisdem experiantur.

IV.

Tanto justius itaque omninò fuerit, in veras rationes quovis modo inspicere; quibus hic aliquid & quousque, imputare, salva veritate justum æquumque esse possit; Ut tum *senectutis sanitati*, tum etiam *morborum potestati*, limites sui atque ditiones describantur, & quid à quolibet horum expectare jus fasque esse possit, justæ atque providæ solertiæ dilucescere possit. Novissè itaque ante omnia, ex ipsa harum rerum historia, convenit, quinam proprie *senes*, aliquod in hoc genere damnum revera sentiant, atque subeant; qui vero minus: ut nempe ita dilucescat, atque rectè colligi possit, an verè, & quousque inprimis, Senibus ut talibus, adeoque omnibus vera ipsorum culpa & patiendi necessitate, aliquid hic incumbat atque injungendum appareat? Hoc certè intuitu, neminem attentius dispicientem fallere poterit, quod nequaquam *omnes senes*, adeoque ipsa propriè *senectus*, uni eidemque culpæ hic subjaceant; sed *certi tantum*: qui vel prægressarum vitæ periodorum rationem nullam habuerunt, vel ipsius præsentis adhuc, imprudentius nullam habent. Ex adverso verò, qui ab ineunte ætate, iis rebus, quibus firma sanitas partim absolvitur, partim sustentatur, rectè invigilarunt,

eas-



easque decenter etiam excoluerunt, certissime quoque *senectutem* agant, *justæ* sanitatis proportioni rectissimè respondentem.

V.

Primò itaque loco, hoc tenendum omninò erit, quid *per se*, quid vero *per accidens*, *Senibus* ita incumbat. Quo præmonito, neque tamen etiam illud dissimulare nostra fert intentio, quod utique senes, *dispositionem* ad minimum præ se ferant, ad *debilitationes* ultteriores ita inclinantem, ut, si *occasione* occurrentes non prudenter evitentur, dicta hæ *dispositiones* omninò faciliùs in actum deducantur: Interim hoc ipsum iterum, nullo majori *senii* reatui aut crimini, quam *adolescentiæ* aut *pueritiæ* conditioni, imputari mereatur. Ut breviter confirmemus quæ diximus, quod nequaquam *senibus* qua *talibus*, vulgo imputati illi nævi atque sanitatis labes, ceu proprio aliquo tyrannidis suæ jure, imminere possit, dabimus tria illa, publicarum historiarum vitæ, conspicua exempla, sub *frigido* septentrione, circa *fervidum* æquatorem, & in *temperatis* Climatibus habitantium. Ubi primis illis, non solum longissimam, sed etiam firmissimam, tam *senectutem*, quam *sanitatem*, asserunt, & alii historici, & *Olaus Magnus* inter primores. Tam *Brasilianis*, ultrà, quam *Guineæ* tractui succedentibus, citrà primum Meridianum, populis, atque *Nigris*, & secularem, & firmam, *senectutem* passim familiarem esse, confirmant uno ore harum regionum visitatores. Ita *Gallia*, quot non, vel ipsis publicis novellis, nomina commendat suæ gentis hominum, qui diu ultra seculum productâ ætate, servati sunt nostro ævo, ut partim *injustitiæ* ambitiosæ, partim *justitiæ* vindicis, adhuc senes, testes viverent. Quot vero etiam nostratium, à summis *Alpibus*, ad mare *Batthicum* usque, rustici, opifices, milites veterani, eruditi in negotiis dextrè versati, & *longam* degunt ætatem, & ita *sanam*, ut quod suæ *periodo*, præ *junioribus*, imputent, vel nihil, vel parum certe, præ se ferant.



VI.

Sicut autem hoc certum ita est de *Senibus* quasi sibi ipsis constantibus & veluti relictis ; qui etiam à *prægressis* ætatibus, fani, atque recte constituti, ad hanc periodum transiverunt : imò etiam ipsis præcedentibus periodis ad vegetam *alacritatem*, corpus suum, & actiones ejus, adsuefecerunt : Ita ex adverso, illi senes, qui vel *enervati* aliunde, vel *torpidi*, vel *labefactata*, imò *concussa*, jam à prioribus ætatibus valetudine, ad senium pervenerunt : aut ex *agili* vitæ genere & *alacri*, in *segne* otium, & tamen lautam atque *plenam* diætam, imò *intemperantiam* in cibis, & ipso quoque potu, transeunt, mirum non est, si non reliqua etiam paria cum antedictis experiuntur. Quandoquidem ea propemodum senilis ætatis est labes, ut exantlatorum per prægressas ætates laborum veluti pertæsa, *ignavo otio* indulgere nihil dubitet : sed & hoc ipso pluribus incommodis se ita exponat.

VII.

Habet se res ita, certissimè, ut plus *accidentalibus* hujusmodi causis, per *individua*, tribuendum veniat, quam verè proprio & *interno* cuicunque hujus ætatis vitio. Tanto magis quando *Senectutem* æquo jure frui sinimus, & non nimis arctis cancellis circumscribimus, nempe *ultimam* & plane *decrepitam* solum sub hunc censum revocando : sed potius à *quingagesimo* aut summum *sexagesimo* anno, ambitum ejus numerare suscipimus ; *Ultimam* enim utique senectutem, defectibus corporis animique non paucis patere, nemo utique inficias iverit. Interim tamen neque illud cuiquam incognitum esse potest, quod illi *morbi*, qui vulgo *senibus* tribuuntur, vix non omnes, tam *mediis* ex hac periodo, quam ipsis velut *ultimis* illis, vix observanda insigni diversitate, eveniant & incumbant.

VIII.

Ut autem etiam accedamus ad nominandos ipsos illos morbidos defectus, qui *Senibus*, *magis* quam aliis, ingruere reputantur, possunt illi inprimis memorari, sub suis generibus ;  
nem-



nempe humorum *craseos*, eorundem *motus progressivi*, huius *impulsus*: & tandem *sensuum* æque, atque *voluntariarum actionum*. *Humores respectu craseos* suæ, competunt senibus *spissiores* atque *lenticiores*. Hac ipsa vero ratione, facile intelliguntur tales, ad *justum, alacrem*, atque liberum sui *motum progressivum* minus habiles existere. Interim illud utique minimè omnium in dubium vocare licet, quin ipse *vigor & alacritas* ipsius etiam *impulsus* horum, in ætate senili, revera magis magisque *decreseat*, & *alacritas floridiori* ætati usitata, magis magisque *marcescat*. Id, quod tanto magis atque evidentius in *sensuum* vivacitate sese prodit; dum, aliquos ad minimum horum, senibus, familiarius & facilius quam junioribus, *habescere*, vix quisquam ignorat. Quid, quod *animus* etiam ipse senilis, de *fervore* juvenili, in plerisque, plurimum utique remittit; adeoque dum ad *fastidia, desidem quietem, meticulosas* quin etiam *curas*, & partim *mortis* ipsius propiorem expectationem magis magisque declinat, non potest prope modum aliter, quin etiam *vitalium negotiorum* successibus varia obstacula objiciat, & ataxias inducat.

IX.

Nominatim autem hos affectus enumerare si debeamus, qui *senibus*, præ aliis ætatibus, verè impendent, sunt horum quasi primi, varii, strictiore acceptione sic dicendi, *Catarrhi*, tam *capiti*, quam *faucibus* atque *pectori*, variè molesti. Unde *gravedines, Coryzæ*, & multiplices *mucositates, raucescines, tusses, asthmata*, utrinque cum lentis *humiditatibus* connexa. *Appetitus*, sed tanto magis *concoctionis, languor*, imò *vitta*; Unde variorum ciborum difficilius tolerantia; gravationes inde ventriculi posteriores, *ructus* atque *flatus*, alvi *lubricitas, diarrhoeæ*, imò *lienteriæ*: sensibilis ad has res concitanda efficacia cujuscunque *frigoris* præsertim introrsum, sed tamen etiam extrinsecus, improvidè admitti. Mali hinc *colores*, & habitus ipsius corporis *laxa* atque *flaccida* depravatio; unde inflatoriis turgescentiis locus, quod Germani *dunstig; aufgedunsen / plebes*, exprimunt. Imò vero nascuntur hinc tan-



dem etiam veriores *tumores*, tum lentæ humiditatis concursu, & partim infarctu, *œdematosi* dicti. Ita etiam in *Urina* varia his annis facilius obtingunt incommoda præ junioribus: *Cruditas Urinæ*, & fere conjunctus *color* deterior, *ardor* familiarior, vel propter cruditatem; conatus cum ipsa *irritatione* irritus. Magis autem proprius ferè senibus est *mictus cruentus*, & ad hunc respectantes alii apparatus æque atque conatus. Ad quales interim etiam bono suo jure referenda venit major, quam in prægressis ætatibus *lumbarium dolorum*, inprimis minus *acutorum*, sensus. *Calculum* enim in hac demum ætate, nisi valde adhuc viridi, non æque amplius denuò parturiunt; sed è *virilis* periodi confiniis magis, in suam ditionem transferunt. *Hæmorrhoidum fluxum*, è dicta magis periodo in senilem transferunt potius communiter, quam ut in hac ipsa, magis *ordinarie*, eundem demum subeant; Nisi iterum sub admodum adhuc *viridi* senectute, aut adhuc *florida* individui constitutione. Quandoquidem omnino *Hæmorrhoidum fluxus*, facile & moderatè procedens, adeo minimum est senilis ætatis *detrimētum*, ut adversus pleraque reliqua, potius *præsidi* cujusdam rationem habere possit. Illud tamen non negandum est, quod utique etiam hæc ætas, circà hujus *fluxus* bonum successum turbandum, revera *sensibilior* sit, prægressa virili: Dico, ad certiores hujus fluxus *defectus* & plura hujus mala consecutaria, pronior & propensior. Tandem autem, è *sensuum* ordine, hebescunt communius senili ætati quam aliis, *visus*, *auditus*, *tactus*: *Gustus* autem & *olfactus* tantò magis per manifestiorem intercessionem *Catarrhalis* humiditatis, nares, linguam & fauces enervantis. *Motus* autem etiam Animalis certissima decremēta experimur à senio: dum utique *virilis* vis atque robur, frustra ab hac ætate amplius exigitur. *Intellectus* autem ipsius quoque præsens promptitudo, *memoriæ* vero fides atque firmitas, certò quidem hic quoque remittunt plus minùs: sed sunt etiam hæc talia tanto magis extra veram & veracem spheram *activitatis Fabricæ*, nec potest illis, nisi longe per *indirectum*,



*Etum*, quidquam bonæ spei ab *arte Medica* ostendi. Nequaquam autem interim parvum quiddam, nedum nihil est, quod tum hi, tum *voluntatis* etiam *fastidientis* atq; *refractarie* culpa; redundat etiam in ipsarum *actionum, ordinem, effectum, & eventum*: Unde habet tamen hac in parte prudentia Medica cui invigilet; ut *consiliis* atque *præmonstrationibus* idoneis, hos *animi nævos* ita emendare aut in viam revocare allaboret, ut ita malæ illæ *consecutiones*, in *œconomiam corporis* imminentes, *præoccupatis* his *occasionibus*, intercipientur, atque *præservingando* quasi evitentur. Opportunitas autem utique plurimum hic sibi vindicat, & necessaria dexteritas; cum *tenacior* suorum conceptuum Senectus, pronior prope modum sit ad spernenda aliena consilia, & non audienda rationum momenta, detrahentia suis *præfigurationibus*: Maxime omnium autem cavendum est, ne imperiosè hic aliquid agatur: nisi quidem clausula *menuendæ* mortis tanto propioris, aliquid autoritatis *præceptis* hinc conciliet.

X.

Verè autem familiariores *senili ætati*, & maxime quidem *eminenter* tali, sunt *Affectus*, qui *repentinam* quandam *destitutionem & exsolutionem vitalium tonicarum virium* præ se ferunt, *Apoplexia, Hemiplexia, Paralysis, Catarrhus Suffocativus* verus. Quid, quod etiam *oblivio, Somnolentia* nimia & profunda quin plane *veternosa*, cum aliarum etiam virium vitalium notabili *torpore*, huic ætati præ omnibus aliis, quasi magis propriè familiaris observetur. Neque vero multum minus huic etiam ætati certius imminet, *dentium* irreparabilis casus, & inde necessariæ *masticationis* defectus. Certissime vero etiam *decrementum virium* tandem sumunt; *Tremor* manuum, *labefactatio* genuum, imò omnis tandem *vigoris* valde conspicua remissio. Quorsum etiam pertinet, *Toni* ipsarum *extremarum partium, marcor*; unde *cutis rugosa*, & totus habitus quasi *subsidente* *flaccescens*, visitur: quin etiam *color* de flore suo plurimum remittit, & jam *pallorem*, jam etiam *maculosum, fulvum squalorem*, passim induit.



XI.

Sub his omnibus tamen rebus puto consideratione non indignam esse circumstantiam illam, quæ vel leviter advertentibus animum, non potest non facile dilucescere, neque una quidem absolute, sed potius duplex. *Primo*, quod *femine*, revera plures ad *annosum senium* pervenire observentur, quam viri. *Secundo*, quod eadem, licet circa *exteriora corporis*, incommoda illa senectutis propemodum citius quam viri persentiscant; *torporem & marcorem habitus corporis*, & inde *rugositatem* atque deformitatem, *dentium lapsum*, *incessus* labefactionem atque vacillationem; tamen circa *interiorem* vitalem energiam vividam, diutiùs propemodum æqualem moderatum tenorem retineant & conservent: quin etiam ipsam ultimam vitæ suæ consummationem, ausim dicere non eadem frequentia uti viri, *Apoplexia* obsignent: sed ad summum *Catarrhi suffocativi* interventu; Aut *tumidis*, aut tandem *tabidis* eventibus.

XII.

Equidem *Marasmus* tanquam propriam hanc obtinuit possessionem, ut senili ætati tribuatur. Et in rei veritate nec evenit etiam æquè facilè ulli alteri periodo. Interim, meretur tamen etiam de illo notari, quod tam familiariter & *frequentè*, nequaquam eveniat; Minime omnium autem etiam senio in tota sui *latitudine* sumto: sed unicè propemodum extremo & jam *decrepito*: aut certe per prægressas enervationes, ita exhausto, ut ante annorum numerum, periodum suam exhaustisse, è conspirantibus undique indiciis sentiatur.

XIII.

Si jam hujusmodi constitutionis senilis *rationes* ad animum revocare velimus, non difficile erit agnoscere; quod primum quasi *fundamentum* hujusmodi *dispositionis*, & tandem deductionis ejus in *habitum*, ut loquuntur, nulli rei certius innitatur, quam undiquaque notoriæ imminutioni atque vero decremento totius *energicæ* motoricæ, in negotio *vitali* æque, atque animali, a quo nempe defectu, non solum *mea-*  
tuum,



*tuum*, imo ipsarum *partium*, *marcor* adeoque *transitus* humorum *languor*, & consequenter tam *fluiditatis*, quam *deputationis* eorundem, labes, occasionem sumunt: sed etiam ipse *ordo*, atque *debitus vegetus successus* harum actionum *conservatoriarum*, partim *expulsoriarum*, passim fatiscit, negligitur, turbatur, aut invertitur: quin etiam ipsa *restitutio* decedentium portionum, non amplius eo quo decebat, imo vel necessarium passim erat, *vigore*, in effectum deducitur.

XIV.

Quod quidem ultimum, in memoriam adhuc nobis revocat aliquid, quod propemodum, & sanè nequaquam ex merito, silentio prætermissemus; Nempe, singularem certe in senili ætate defectum quomodocunque tandem nominetur, *energiae* aut *alacritatis verè nutritivæ*; dum *violente læsiones* partium solidarum, vulnera, ulcera, fracturæ, quæ *structoriam* quandam reparationem postulant, senibus nimio *segnius* refarciuntur, quam junioribus; Imò etiam longe facilius ipsæ *repurgationes* necessariæ, quæ in junioribus passim etiam spontè bene procedunt, hic ita veluti negliguntur, ut nisi externa *artificia*, tempestivè & assiduè succurrant, partes ita læsæ, ita deturpentur, ut vix ulla relinquatur spes *vividæ spontaneæ* reparationis. Quamvis autem affatim sciamus, præcipuam culpam hic vulgo imputari *humorum*, in senilibus corporibus *vappidæ*, *dyscrasie* (quam etiam in totum excusare aut excludere nequaquam laboramus.) Est tamen peritis omninò satis cognitum, quod etiam reliquis circumstantiis *mundificationis*, live *spontaneæ*, five *artificiosæ*, satis commode se habentibus, tamen *accrementum*, seu *apparatus* & *successus* consolidationis, nimio plus, quam in *floridiore* ætate, languidè & tergiversanter succedat. Cui rei adhuc illud jungendum venit, quod etiam, quantumlibet rectè sanatis, atque restitutis tandem in integrum, hujusmodi læsionibus, valde familiariter in hac ætate adhuc succedat *meteorica* illa æque, ac à paulo fortiore *usu* etiam domestica & spontanea, *debilitas* atque *sensibilitas*, de qua Germani: sie behalten einen Calen-



ber am Leib. Quid, quod etiam prægressa jam ætate toleratæ læsiones hujusmodi violentæ, in *senectute* demum, *memoriam* sui, importunè, & valde physicè, refricent, *doloribus* aut *debilitatibus* valde notabilibus, in affectis olim partibus.

XV.

Quantumlibet autem illud, quod de *dispositione* senili ad varia valetudinis incommoda, §. penult. præcedente, diximus, omninò sic se habeat, non resultat tamen etiam indidem talis *necessitas*, quæ & *inseparabilem*, & *insuperabilem* inferat valetudinis senilis concussionem planè tantam, quæ ad *Medicam* considerationem *simpliciter* respiciat, & *curationem* efflagitet. Quin potius, si defectibus suis prudenter obviam procedant senes, aliquos etiam sapienter *pati* malint, quam magis *obturbare*, sub *latitudine* tolerantia, aut inconsideratè fovere: Medicam, sanitatem, imo potius suæ periodo quadrantem, omnino adhuc retinere eaque frui possint. Quorsum nempe omninò referenda sunt ea, quæ supra jam protulimus circa *comparationem* infantilis ætatis cum *senili*; circa quasdam *impotentias*, quæ utrisque impendent, neque tamen vere atque proprie *morbi* nomen, aut cujuscunque *morbidi* defectus, merentur: Non magis, quam etiam, v.g. negotium *habilitatis generativæ*, quando ante tempus pubertatis adhuc *deficit*, aut in *foeminis*, absoluta usitatâ periodo, iterum *desinit*. Ita nempè à senibus exspectare, nedum exigere, ut omnia munia cujuscunque prægressæ ætatis, pari planè ratione exsequi perseverent, tam alienum esset postulatum, quam si à qualibet præcedente periodo illud exigere, quo à reliquis differre vulgò notum est.

XVI.

Ut autem propius attingamus *Causas* defectuum senilium, quatenus à tolerabiliore illa, de qua modo diximus, immi-  
nutione *energiae*, ad *majora*, & verè *morbida* decrem-  
ta atque damna, progressum facere solent, necesse erit perpendere;  
quod *Animi* habitus, ut in genere *humano*, undique præcipu-  
am confert efficaciam ad concipiendas multas *ægritudines*,  
aut



aut ad minimum *causas* talium invitandas aut fovendas, magis longè, quam quidquam tale in *brutis* observatur: Ita certe in *senio* quoque, *Animi* habitus certus, undecunque tandem illum arcessere placeat, ita pronas *occasiones* objiciat, etiam *morbidis* successivè ataxiis, ut, quanto magis hîc in potestate sit & benè gubernetur *Animus*, tanto minus ulteriorum ejusmodi damnorum proventui occasio pateat.

XVII.

Quamlibet autem jam dixerimus, & omnino tueamur summo jure, quod *remissio* illa activitatis senilis, magnam partem habeat, imo præcipuam, inter *causas* valetudinis labescens in hac ætate; meretur tamen huic utique statim ad latus poni, *altera* jam è *prægressis* ætatibus huc conspirans, & omnino plurimum momenti adferens, quam facundè elocutus est veterum aliquis, inquit: *Intemperans & luxuriosa juvenus, effætum corpus tradit senectuti.* Et certè ita se res habet; neque vero etiam erraverimus si ipsi *Animo*, adhuc inde ab illis temporibus & abusibus, haud parum *mollitiei, tædii, pigritiæ, enervationis*, imprimi, & velut incuti, agnoscamus: unde posthac tanto negligentius & *inertius* rebus suis invigilando, variis malis eventibus portam aperiat.

XVIII.

Quamlibet autem certissimum hoc sit, quod *enervatio* talis, tum corporis tum animi, per *luxuriosam intemperanti- am* contracta & inducta, magnam plane partem habeat, in *labefactandis* debitis successibus *vividis vitalibus*; Vindicat sibi tamen etiam aliquem locum *enormis exhaustio* virium vitalium, imo *labefactatio* materialis etiam habitus corporis, *laboriosa, modum prætergressa* in antecedentibus ætatibus. Veruntamen, quamvis propemodum hæc ratio familiarissimè allegetur, ab hominum vulgo; usitatis illis loquendi formulis, man habe in der Jugend vieles und hartes ausgestanden/es sind de sich hernach erst im Alter wieder zc. Est tamen hoc, sub prudente animi adversione, perpetuo certissimum, quod *duplex* subsit diversitas, utraque consideratu omnino dignissima;

nem-



nempe, *Primò*, quod immensum quantum plus efficaciam hic habeat *luxuriosa illa mollities* Animum imprimis ab *activitate vividâ* avertens atque dejiciens; quam *laboriosa* talis impressio; nisi simul longe plurimum *timoris* atque *terroris* profundè infinuaverit. *Secundo*, aut valde *gravibus & permanentibus labefactionibus*, corpus ipsum violaverit.

XIX.

Ultimus enimvero harum causarum gradus, fundatur utique in eo, si jam à *proximè* prægressis ætatis periodis, adhuc superstes, imo vero *profundius* incussa, manserit, aliqua ejusmodi violatio; quæ tantò minus spei solidæ restitutionis in hac demum ætate admittat: cui, tanquam propria pars suæ *destinationis*, attributa sit, ulteriorem *exornationem* imo solum *exstructionem* corporis, non admodum amplius curare, sed magis partis eousque, utcunque acquiescere.

XX.

Ne vero nimium prolixè inhæreamus explicationi *efficaciam* harum causarum, exponemus rem, quantum fieri poterit brevissimè. Senes, qui à *juventute*, *temperante* imò *indigâ* potius, quam *affluente*; *laborioso* insuper vitæ genere & ad varia *toleranda* assuefacto: *animo* super omnia, *vigili* quidem atque *prompto*, sed *incurio*, imò *audaci* potius & nihil *meticuloso*, ad suam periodum pervenerunt: & in hac ipsa etiam adhuc, à *pigritia* æque atque *intemperantia* alieni sunt, corporis *exercitiis* ad tolerantiam addicti, ita etiam præsentibus suis rebus *contenti*, ut ab *anxiis curis* aut *fastidiis*, quies ipsis sit: Tales inveniuntur *indies*, non solum nulla vera *valetudinis* labe affecti; sed etiam *revera vividî*, *alacres*, & in suo genere ita *robusti*, ut sæpe etiam junioribus, non in *suprema vividæ ætatis* *âκμῆ* constitutis, nihil cedant, sed potius omnia munia humanitatis, in *sobrio moderamine*, pulcherrime exsequantur: & hoc etiam *frequentissime*, ad *supremum* usque *vivacis senectutis fastigium*, propius *octuagesimum* annum.

XXI.

Qui vero his contrariam, & olim institerunt, & hodieque  
adhuc



adhuc prosequuntur, viam, inde à juventutē *deliciis, molli-  
tiet, pigritiæ, inertia*; aut aliis intemperantibus *animi* pertur-  
bationibus, adsueverunt: *luxui* quoque in victu, *sensibilita-  
ti* in amictu, *timori, fastidiis, desideriiis* quam commodissimæ  
ad mollem vitam rationis, aut, in hujus defectu, *solicitudini &  
anxio languori: perhorrescentiæ laborum, ingluviei, durio-  
ris diætæ intolerantiæ, desidi otio & somnolentiæ &c.* Omnes,  
inquam, tales, siquidem ad senectutem duraverint, incurrunt  
tanto magis ordinariè, varios ejusmodi affectus, qui à *languo-  
re* in administrandis necessariis vividis & vigilibus *actionibus  
vitalibus*, necessariò procedunt atque subsequuntur. Quem-  
admodum etiam insignes perturbationes *animi*, & inevitabi-  
les, & maximè insolitæ, quantumcunque de reliquo *sanis* eo-  
usque Senibus, per externos, fortuitos aut fortunæ, casus, ob-  
jectæ, etiam reliquarum, & maxime quidem corporalium vi-  
rium, meliore adhuc præsentē constitutione, tantundem cer-  
tæ atque variæ perturbationis his incutiunt, circa *sanitatis  
suæ* reliquæ negotium, quantum in qualibet ætate, tales *Animi  
perversiones*, salvo & integro, in se, corpori, & ante omnia,  
statim & immediatè, primario atque principi *vitali actui, cor-  
dis pulsui*, conciliare notorium est peritis.

XXII.

Qui verò etiam his ita notabilibus corruptelis, non ob-  
noxii vivunt senes, sed tamen præposteram illam *quietioris  
vitæ affectationem*, animo complectuntur; sie würden nun alt  
und unermöglich/wolten denen jungen die Arbeit befehlen/ sich  
aber zur Ruhe begeben/ sich in ihrem Alter etwas zu gute thun/  
hätten sichs in ihren jüngern Jahren sauer genug werden las-  
sen &c. unde in *desidem vitam*, & insuper etiam *lautiorem*, aut  
certe præter proportionem *desidiæ* talis *pleniorē*, diætā,  
transitum faciunt: tales certissime, quod est in Proverbio,  
suo jumento sibi accersunt malum; & certissimè deteriore  
conditionem incurrunt, quam ii, qui perpetuò invigilant &  
insistunt, *activiori*, quantum vires sinunt, vitæ generi.



Quamvis autem certum utique sit, quod & vires ipsæ senio deficere incipiant, & *animus* senilis etiam, per *speculativas* rationes & moralem æstimationem *laboriosæ vanitatis*, *fastidiis* magis sit expositus: utraque vero ratione, & *alacritati* ad agendum, & *activitati* in agendo, certò aliquid decedat: & inde in negotio œconomix corporis *vitalis*, talia incommoda ingruant, quæ magis magisque certum æque atque magnum damnum, tam *crasi*, quam *depurationi* humorum, machinentur: Est tamen illud etiam ita satis conspicuum, quod omninò multum hic tribuendum veniat, majori aut minori *ataxiarum* talium *gradui*, quales varios proximè allegatis circumstantiis inniti, in propatulo positum est. Unde quidem, quanto magis decrescientes quadantenus vires, & consequenter qualescunque inde impendentes retardationes effectuum *involuntarii, vitalis*, motus, *voluntaria* emendatione prudenter dispensati *animalis* motus emendare, & studio, aut quacunque dextra arte, *languescentes secretiones & excretiones* in viam revocare: imo his rebus omnino vigilanter insistere, commeminerunt: Possunt ita omnino senes suam quoque ætatis periodum ea ratione exsequi, ne illis aliquid præjudicii objiciat, inde ab initio allegatum illud nugatorium, quod *Senectus ipsa sit morbus*; utpote quod, si in sensu quantumcunque magis *proprio* accipi debeat, aliunde profectum esse nequit, nisi à Rhetoribus, verborum lenocinio, vitia plebis exacuare & irritare doctis, qui decrementum ad omnem *intemperantiam* proclivis activitatis, corporis & animi, illiusque languorem, hujus fastidium (& quidem tanto promptius atque majus, quanto insolentius utrique præcedenti tempore laxata fuerunt frena,) pro solido damno & grandi defectu inclamant.

XXIV.

Præter hæc autem *generalioris*, adeoque etiam *latioris*, energix ad Senum Affectus, fundamenta, rationi utique obvium est, quod *peculiares prægressæ* causæ, in certis per indivi-



dividua senibus in certam considerationem & æstimationem venire debeant. De quibus tamen, uti nemo à nobis expectaverit, ut *particulares* varios, nedum quoslibet, qui obtinere *posse* viderentur, casus allegemus: ita sufficiet potius *afatim*, nostro tam scopo, quam officio, si illa recensuerimus, quæ *certæ, familiaris, & eximia*, sunt & existentia & efficientia. Agnoscimus autem res hujusmodi præcipue duas: *Abundantiam* sanguinis ad *commotiones* proclivem; & actuales ejus *exonerationes* ad *suesfectus*. Subdivisione ulteriore, tota verâ atque Practicâ, subjici his potest, intermedium locum naturali ordine tenens, *Commotio* ipsa, seu *apparatus* ad *exonerationes* hujusmodi; *spasticis contentionibus* partium solidarum, *congestionibus* humorum, pro illorum tandem *expressione*, adornare pro scopo habens.

XXV.

De *Abundantiâ* sanguinis notatu dignum illud est, quod satis sæpe sub *juvenili & virili* periodo, in bona appetitus, & plenæ etiam diætæ constitutione, reliqua vero universa *sanitate* satis *vegeta & alacri*, sub *agili* instituto vitæ genere, *abundantia* sanguinis, vel vires non acquirat, vel simplicissimum suum incommodum effectum, *spissiores* consistentiam sanguinis producendi, non assequatur. Quando vero ab hoc instituto, homines *senescentes*, in eo decedunt, ut *agilitatem* illam corporis equidem seponant, *appetitui* interim non solum indulgeant & obsequantur, sed plane diætâ lautiore, *stimulos* subjiciant; juxta usitatissimum illud, sich in seinem Alter etwas zu gute zu thun / und wohl seyn zu lassen: Prævalescunt tunc & ipsa sanguinis *abundantia*, & proventus illorum in commodorum, quæ tanquam justo ordine & spontaneis quibusdam successibus, vestigia ipsi premere non possunt magis, quam solent. Unde nempe nihil certe facilius est observatu, & in communi conversatione obvium, quam Senes inveni, qui ( de *plebeja* imprimis, imo vel ipsa *rustica* gente) quando *laboriosâ* operâ (haben sichs Blut-sauer werden lassen / ajunt) tantum corrasisse sibi videntur, imprimis autem jam



etiam, si quos habent, liberis suis consuluisse, hoc agere animo concipientes, ut tanquam fruantur laboribus suis in quiete, oppido incipiant, ab illo tempore, varia incommoda valetudinis suæ incurrete. Quæ, licet non desint, qui in genere *intemperantiæ* mox imputent; tamen longè rariora sunt vera & simpliciora illius consecraria, quam *mediati* hujusmodi successus & effectus, conversæ prius in succum & sanguinem *abundantiæ*, & illam ipsam insequentium, tam specie, quàm ordine conspicuarum, ataxiarum.

XXVI.

Patet hoc tantò magis, ex indole, aut certè schematibus, talium pathematum; Quæ, (loquimur adhuc de iis, qui à dictis gradibus ad pejorem statum procedunt) ordinariè, sunt, in genere sic dicti *Catarrhosi* generis: Videlicet, à restagnationibus verioribus *gravedinosi* atque *tussiculosis*, *Rheumaticis* etiam levioribus, circa *nucham*, *collum*, *humeros* & *scapulas*, ad *graviore*s usque *Rheumatico arthritodes* affectus, cum *doloribus*, *gravativis*, *tensivis*, imò *vibrativis*, hinc inde per artus. Aut contra, *convertuntur* ipsis hæc accidentia, *spastico-stagnatoria*, ad *interiora*; unde in *pectore*, *asthmata*, inprimis multum *spastici* involventia: in *abdomine* verò, varii affectus, jam *stomachum* & *præcordia*, jam magis *intestina* reliqua, *Colicis* torminibus, jam *rectum tenesmis* & *acutis morsibus*, exagitantibus. Manifestis igitur passim vicissitudinibus, jam *spasmodorum torminosorum* & *strictiorum*, jam *atoniarum*, & inde *flatulentarum* expansionum, sese offerentibus: Imò verò, ingruit talibus, aliis, *dorsi* & *lumborum* dolor *tensivus* atque *gravativus*; Tandem etiam exquisitior *nephriticus*; *Calculi* proventus, aut *sabuli*; tantò magis autem, facilè imponens minus cauto examini, *crystallino tartarea* illa substantia, quæ in *urina*, totâ limpida emissa, post longiorem moram refrigerationis, ad *latera* vasis accrescit, & ad *fundum* colligitur: Quin ipse, huic ætati, jam ex *Hippocratis* observatione magis quasi proprius, *Mictus cruentus*: Aut denique, manifestiora, ad *hæmorrhoidas* pertinentia, Phænomena & pathemata. Ultimo



timò denique *podagrica* ichemata, *contracturae*, & *aridurae*; Aut, præcipue tam ex his, tam ante dictis variis, *malè tractatis* aut *toleratis*, *œdematosi*, imò *hydropici*, exitus.

XXVII.

Quæ certè omnia atque singula, quam commode atque facile procedere possint, *Theoretica* æstimatione, è temere coarervata *Plethora*, vividis adhuc quantumcunque conatibus ad *excretionem* aliquam hæmorrhagicam, inprimis circa *inferiora*, perpetrandam, sed destitute exitu, propter *spissiores* tam *humores*, quam *vias*: Obtingentibus autem ita facilibus *stagnationibus*, & harum sensibilibus effectibus: Quin alicubi *secessionibus* & *excretionibus serosarum* portionum: univèrsim hoc nulla difficultate dilucescere potest, non planè occœcatae, alienarum *fictionum* præjudiciis, menti.

XXVIII.

Quid vero, quod hujus ejusdem commatis affectus, quam maxime facilè, & quasi solenniter, *fœminino* sexui, post *cessationem* evacuationis menstruæ, sed manifestiorem constitutionem *plethoricam* remanentem, eveniendo, tantò simplicius harum rerum *συζουγλα* ab oculos quasi ponunt. Quod tamen, cum pro nuper prolixius deductum sit propria Dissert. de *Fine mensium*, *initis variorum morborum opportuno*; inconveniens fuerit hic denuo prolixè recitare, quæ illic abunde videri possunt. Illud autem in præsentem rem notatu minime indignum fuerit, quomodo, hac ratione, imò per has rationes, *fœminis*, tam post cessationem mensium, quam illis adhuc procedere debentibus, omnia talia pathemata, usitatisimè magis vergant ad *interiora*, quam *Viris*; propter antiquam, quasi perpetuam, *adsuetudinem*, *contentionum*, atque *directionum*, ad hæc potius loca pertinentium, quàm aliò inclinantium, *exonerationum* sanguinearū: & consequenter, tam *apparatum* ad easdem, quam eorum impeditos *successus* stipantium pathematum. Tanto facilius autem speramus, hinc intellectum iri, quomodo hujusmodi affectus, tantò *certius*, imo & *ferocius*, eveniant illis senibus, qui iam per prægressam ætatem,



manifestiorum talium *evacuationum*, aut ad illas pertinentium *conatum & appratuum*, insultus experiri *conseverant*: Sed, vel à neglectu, vel malâ tractatione eorum, jam qualem-  
cunque *recurrendi* habitum subierunt. Pro quarum tamen omnium rerum fortè adhuc uberiore elucidatione, non poterit non inservire, Dissertatio iam pridem à Dn. D. Præsidi habita, de *Fundam. Morbor. ætatum*: Cui multæ aliæ subservire poterunt, in primis tamen, de *Motibus humorum Spasmodicis, Podagræ, & Calculi, nova Pathologia, Motu hæmorrhoidali & Hæmorrhoidibus externis, Hæmorrhoidibus internis &c.*

XXIX.

Impeditior, quàm primus obtutus innuat, certe est, *solida ætiologie* affectuum illorum, multum in se *conspirantium, Apoplexiæ, Hæmiplexiæ, Paraplexiæ, & Paralyseos*. Quæ omnia nempe, non nisi *gradu & loco* differre, satis probabile est, si non prorsus evidens. Id, quod difficultatem, de qua loquimur, maximoperè fovet, est sine dubio, satis *rarus* hujusmodi affectuum proventus: dum certe, placidè rem totam perpendendo, vix *millesimo* seni aliquid horum evenit, nisi qui quidem planè *decrepitis*: Nec tamen horum etiam, forte amplius, quàm *ducentesimo*. A quibus rebus diversum certè obtingere deberet, si vulgo notata illa *obstructio nervorum*, à qualicunque *tenacitate* humorum, in culpa esse deberet. Ut pote quæ, sub tam *universali* supposita, lentâ intemperie humorum hujus ætatis, sine dubio longè frequentius evenire deberet. Nedum, quod nequaquam dispar ratio difficultatis hujus, peti etiam possit, è præcedentium ætatum, imò adhuc variarum morbidarum constitutionum, velut *immunitate* ab hujusmodi eventibus. Cum tamen, v. g. *hydrocephalus* in infantibus, *hydrops* in quacunque ætate, (& quid non cogitare liceret de actu salivationis?) certè longè plus proferre deberent talium eventuum, hujus *ætiologie* nomine: quàm usquàm fieri observatur. Illud interim certum est, *actionis defectum* adesse, undecunque tandem ille oriatur; sive ab ipsa aliqua fastidiosa pertinacia à priori; sive à vulgo supposito ejusmodi vitio organorum. Adhuc autem, tan-  
tò



tò magis notandum venit & illud, quod vitium, ut in *Paralyfi*, ita etiam in *Hemiplexia*, indeque probabilissime etiam ipsa *Apoplexia*, propriè hæreat, & fundetur, in ipso *Motu* corporis ejusque partium **TONICO**. Qui, cum primus sit *gradus* & totum *fundamentum*, superinducendi augmenti motus *voluntarii*, dum ipse deficit, harum etiam intensio-  
rum successum, non potest non eo ipso subtrahere. Quicquid autem horum sit omnium, efficit certè *Paralyseos*, propemodum *omnis*, tanto magis autem *senilis*, quasi constanter irrevocabilis contumacia, (ne dum *Apoplexie*) omnes hujusmodi theorias etiam reverà inutiles. Tantò magis, cum etiam quomocun-  
que iterum soluti hi affectus, in senibus vix non infal- libilem etiam *repetitionem* ejusdem casus, post se trahant: Ita communissime verò, ut etiam vix non semper & quasi absolu-  
te, omnem opem artis asperentur.

XXX.

Majore verò jure considerationem mereri potest illa cir- cumstantia, quod non tam æque evidenter, subjectis, de *humo- rum* ejusmodi, *lentore* suspectis, adeoque *obstructioni* vulgo incusatae inde expositis, affectus hi maximopere accidere & evenire observentur: Sed longe certius talibus, qui *floridiore* adhuc sunt sanguinis & corporis habitu; &, ut in hac ætate, *plethoræ* manifestioris signis conspicui: Annis autem solùm jam admodum aucti, & à *sexagesimo* propius ad *septuagesimum* accedentes. Quid vero, quod etiam *animi* commotiones acriores, & nominatim *iracundia*, præcipuum negotium in hoc ipso genere faceffunt: Et à *Vertiginosis* inter *norum* sensu- um perversio- nibus, ad *Apoplexiam* non ita raro progressum fecisse, post hac memorantur. Quorsum etiam referri de- bet, quod ea, quæ *regurgationem* seu *restrictionem* totius mas- sæ humorum copiosiore, ab *inferioribus* ad *superiora*, effici- unt, (ut *refrigeratio* constantior inferiorum,) uti certissimè ad *vertiginosos* hujus ætatis affectus: ita etiam penitùs, ad il- los ultimos horum eventus, conspirent. Ubi interim nunquam etiam satis dilucescere adhuc videtur etiam illud, quomodo  
san-



*sanguinis*, inprimis etiam ut in hac ætate adhuc *floridioris*, *coacervatio* circa caput, tantò plus conferre valeat ad hujusmodi eventus, quam apud alios *serosior* ejus constitutio. Non debuimus interim hujus circumstantiæ annotationem silentio præterire, cum aliquem usum promittat *Therapeuticum*. Tantò magis, cum etiam advertentibus decenter animum, non desint documenta, quod varii senes, quos Apoplexia emori contingit, *adsveti* antehac fuerint *evacuationibus* sanguinis: à qualium etiam sæpè solùm temporario aliquo neglectu aut tarditate, inprimis *Vertiginosa* symptomata perceperint atque memoraverint: Sicut etiam vel adhuc multo junioribus, *narium hæmorrhagias* experiri fuetis, ab harum insolita emanatione, *vertigines* accidere, vulgo quoque notum est.

XXXI.

Tandem tamen etiam silentio prætermitti non debet, quod *Ventriculi* quoque *gravationes* peculiare, tam *vertigines* graves passim inducant, quàm vel penitus ad *Apoplecticas* consecutiones conferre possint. Quò præcipue facit *Christiani Langii* animadversio in *Miscellaneis*, de peculiari aliquoties reportato salutari effectu à *Salis Vitrioli* usu. Certè vero non tam, ut Auctor innuere videtur, à recondita quadam *Vitrioli*, quàm talis, prærogativa: quàm potius simpliciore *emetica* ejusdem efficacità: & qualitercunque *salina abster-sivâ* potentiore energia. Pro conclusione verò quarumcunque harum *ætiologiarum*, illud utique prudenter agnitum atque perpensum volumus, quod, vt in *omni ætate*, atque adedò totâ vitâ, ita etiam in hac periodo, si alieniora, undecunque tandem suborta *inquinamenta* in humoribus, tempestive ex his *secernantur* & *excernantur*, quod nulla amplius ab iisdem metuenda tunc veniat noxa aut damnum. Et, licet non absurdè moneri possit, quod ad necessariam facilitatem hujusmodi *secretionum* & *excretionum*, utique etiam pertineat præcedens justa prædispositio *craseos*: tamen salva omnino hac etiam intentione, habemus causas satis prægnantes, quamobrem



obrem etiam iterum iterumque rectissime perpendendam commendemus ipsam etiam illam omninò, & minime, uti ferre solet fieri, deinde oblivioni dandam, *exonerationum* actualium summam non utilitatem solum, sed certe necessitatem. Qualibus variis, quantum præstet, tam dignitate, quam reliquo usu ipsa *sanguinis* ventilatio, à solertioribus Practicis audire, & hinc inde etiam annotatum legere, integrum erit.

XXXII.

Merito vero utique hoc admonemus, ipso præsentè loco & articulo, ubi ad perpendendam *Therapiam*, *senilibus* affectibus convenientem, aditum facere, tractationis fert ratio: Ubi nempe, cum utique *Therapia* niti debeat *indicationibus*, quæ necessitudinibus patientium, secundum *causalem* habitum affectuum, superstructæ sint: Omni autem tempore & respectu, verissima & universalissima *Vitalis* ratio, ita fundetur in debito successu, tam circuitus seu *progressivi* motus, quam *secretorii* & *excretorii* successus: Toti autem huic negotio, tanquam fundamentum substructum sit legitimus *status* & *successus* SANGUINIS: Elucescit hinc facilè, quod hujus semper præcipua habenda veniat ratio & consideratio. Et quidem non tam directè, aut certe non tam simpliciter, ad illius *Crasin* immediate respiciens: quàm potius ad *quantitatem*, & quâcunque tandem ratione jam conceptos aut receptus ejus, ut vulgò vocant, *decubitibus*; *incubitibus* certè, ad *peculiariora* loca; Nominatim autem talia, per quæ *exoneratio* quidem, ita cum *euphorîâ*, fieri in œconomia humana observetur, ut ejus interceptos successus, manifestò æque, atque satis certò, talia *incommoda* insequantur, quorum intuitu & comparatione actuales illæ *evacuationes*, jure meritoque pro *salutari* potius prophylaxi graviorum hujusmodi affectuum haberi mereantur, quam improbando aut reprimendo aliquo affectu aut eventu.

XXXIII.

Quando autem jam omninò decenter perpenditur, quod hujusmodi intentiones, non habeant solum forte locum pro

D

inge-



ingeniosâ aliqua *speculatione*, quid in corpore humano fieri possit; sed potius veritas Clinico-practica elucescat, quod hoc ipsum tale sit negotium, quod velut in quotidiano usu, quam maxime *actu fiat* atque vigeat: adeoque non ita sit in libera potestate Medici, qualemcunque fortassis *utilitatem*, aut veluti *conciinnitatem* talium etiam consiliorum & auxiliorum, has res expedire aptorum, in deliberationem adducere, sed potius vera universarum harum rerum *necessitas*, & alias tractationes aspernans, certa atque firma *intentio, directio, prosecutio, obstinatio*, hoc, & nihil aliud, ceu *efflagitet & unice expectet*, in auxilium, uti proprio *consilio* atque cœpto illud ipsum præfixum habet, & *operosis, ac diffusis* subinde, *apparatibus*, molitur, imo quoquo modo perficere & evincere, nititur & *contendit, insistit*, iterum iterumque *repetit*, atque denuo totam illam *contentionum* scenam instruit: Elucescit certe hinc tanquam ad oculum, quod minimè sufficere ita possit, tanquam qualemcunque *respectum* hujusmodi rerum, in deliberationibus Therapeutiis habere, aut tanquam in utramque partem, ceu *liberas*, & ad fiendum aut non fiendum *indifferentes*, easdem in considerationem adducere: sed potius *necessitatem* has exsequendi, si bene patienti consultum velimus, agnoscere oporteat.

XXXIV.

Illud autem, de qua tota hæc admonitio, tanquam examumissim valeat, est vtique inprimis ipsa sanguinis *ventilatio artificialis*: aut certè quoad solum ejus fieri potest, *spontaneorum* talium exonerationum, artificiosa *promotio*, & in libertatem ingenuam vindicatio. Quo vero loco necessitatem aliquam nobis imponunt mores temporum, ut *duabus* objectionibus satis fiat, quas non tam solum alii quicumque in medium proferunt: sed tales planè, qui ita in numerato habere debebant ipsi responsionem, ut ex officio aliis illam proponere possent & exponere. *Prima*, in eo fundatur, quod non tam in dubium adducant, sed vel, pro reliqua incontinentia, statim negent, *seniles* plerosque affectus, *sanari* posse seu *percurari*,



*ri sanguinis missionibus.* Secundò, quod interrogando, dubium adducant negationi parallelum, quod *fluxus hæmorrhoidum* eam habere possit rationem, aut considerationem, ut vel præsens ita liberè *tolerari*, & non potiùs Medica Arte, aboleri debeat: vel planè *intentione* Artis, sive quæri, & quantum fieri possit *excitari*, sive præsens etiam, omni dexteritate & solertia, ita observari, ne quid ipsi temerè *derogetur*, aut in contrarium objiciatur, & in præjudicium ejus geratur,

XXXV.

Primum itaque quod attinet, à Medicis quidem nulla injuria expectari posset hujusmodi propositio, sed summa certè (injuriâ) talis subsumtio & implicita conclusio. Sicut enim nemo tam imprudens erit, ut *absolutam* totam *curationem*, ullius hujusmodi affectus, collocet in *nudâ* sanguinis educatione; Ita nemo etiam alius, ne dum Medicus, eo usque oblivisci deberet, *mutuorum & subordinatorum* auxiliorum, & *subsidiarii* atque *socii, usus & effectus*, ut propterea in inauditum tale paralogon prolaberetur, ut, *quicquid non simpliciter & absolute, omnibus rebus & respectibus, solum etiam & unum prorsus satisfacit*, illud propterea nullum usum habere, subsumatur aut concludatur. Meminisse enim certè possunt prudentes Practici clinici, quantum intersit patientium, si maximè *totus* affectus non uno, ut habet proverbium, halitu aut anhelitu difflari possit, & affectus aliquis, *in solidum*, etiam non penitè superari & sustolli: Quantum tamen, inquam, intersit, ut *impetus*, securè, & constantiùs, *minuatur*; *Frequentia* insultuum præoccupetur: imò *pertinacia* etiam ipsa aliàs adsueta, ita *mitescat*, ut ad minimum omnia eximiè *tolerabiliora* evadant, quàm eo usque sese gerere consueverant.

XXXVI.

Tantò magis autem utique debebant adhuc in considerationem venire, ejusmodi exempla, quæ testimonium manifestum perhibeant, non de tali solùm, minoris quasi momenti, qualicunque *mitigatione subsidiariâ*, sed longè manifestiore, & admodum conspicua, efficacia, tempestivè in usum ductæ



*ventilationis sanguinis.* Imò, quid erat magis necessarium, & quidem in ipsa *Praxi*, tanquam res ibi quàm maximè *Veritatem* sui exserens & offerens, quàm ejusmodi animadversio, quomodo alias jam *adsvesactas* hujusmodi, *arbitrarias artificiales*, sanguinis *ventilationes*, si illæ postmodum temerè iterum rude-donentur, ita evidenter, subsequantur varii horum generum eventus ut etiam populo satis observatum inveniatur, quod *pathemata* talia tantò *certius* succedant: quibus tempeſtiva reſumptione, aut voluntaria ſuſceptione ita conſulere, tantò juſtior hinc ſit intentio imò fiducia.

XXXVII.

Cui rei cum omnino etiam lucem affundat vera *Mechanica* conſtitutio atque ratio, qua ſanguinis juſta atque libera *circulatio*, ſive *univerſalius*, ſive *particulariter* magis, *arctata*, certa vitia etiam *ſecretionis* atque *ſeſſionis*, imo tam *motus* quam *craseos*, reliquorum etiam humorum ( cum *maſſa ſanguinis conſuſorum* ) poſt ſeſe trahat : Erit certe hinc tanto expeditior hujusmodi *ventilationis* uſus, qua non ſolum univerſalioris *progreſſus* libertas, ſed etiam *particularium reſtagnationum*, *detentionum* atque *contentionum*, occaſio, certius quam ulla alia methodo præoccupatur.

XXXVIII.

Sicut autem ita ſufficienter intelligi poſſe conſidimus, quod ſanguinis ventilatio, *ſincera*, etiam *Senum Affectibus præoccupandis*, egregium uſum præbere poſſit; adeo, ut vix operæ pretium ducamus provocare etiam a poſteriori, ad quotidiana *experimenta*: quomodo etiam *Senibus*, paſſim, tam, *VSnes*, quam *ſcarificationes* etiam diu admodum continuatæ nihil *deſtrimenti* aut *debilitatis* conciliare obſerventur. Ita libet tamen, vel *duo* ſolum, hujus generis *exempla* allegare.

„ Viri meminimus, qui in 75. uſque annum, & hæmorrhoidali  
 „ ſtato, menſtruo plus minus fluxu, & bis in ſingulos annos, ve-  
 „ re nempe & autumnò, admiſſis *VSnes*, ita ſanus vixit, ut  
 „ a 44. circiter anno, quo Hæmorrhoides procedere cœpe-  
 „ runt, uſque ad hanc ætatem, nullo morbo laboraverit: nul-



„lo interim reliquo robore corporis conspicuus, fed valde  
 „mediocris ftaturæ in omnem dimensionem, nec etiam reipfa  
 „ad paulo notabiliores diætæ errores, memorabili fenfibili-  
 „tate deftitutus. Cum autem dicto ætatis anno, è finiftra VSnis  
 „operatione periculofa brachii inflammatione contracta deter-  
 „ritus poftea efflet ab ufitata repetitione, cœpit tunc demum  
 „manifestius incommode habere, & fucceffive per tres annos  
 „languefcere: donec tandem, fub finem 78. anni ætatis, ceu  
 „Marafmo quodam deceffit. Vir autem generofus, 68.  
 „annum agens obrutus jam aliquoties repentinis Aftmaticis  
 „oppreflionibus, corripitur aliquando tam vehemente &  
 „conftante per aliquot dies, hujusmodi infultu, ut etiam irritis  
 „omnibus auxiliis ab ipsis Medicis pro conclamato haberetur.  
 „Quo intellecto, tandem Sereniffimus quidam Princeps, cui  
 „confiliarii intimi officio addictus erat generofus patiens, venæ  
 „apertionem mandavit; ut in re per fe deplorata, nullum inde  
 „utique ulterius damnum, forte autem aliquod emolumen-  
 „tum fperandum auguratus. Narravit Mihi Præfidi duode-  
 „cim poft annis, nempe 79. ætatis fuæ laudatus Patiens, quod  
 „fub ipfo fluxu fanguinis, tanquam manifefte alicuius con-  
 „tentionis magis magisque remittentis fenfum exquisitiffi-  
 „mum perceperit, & in momenta liberatam refpirationem i-  
 „ta affecutus fit, ut poft paucas horas, præter virium defectum,  
 „de reliqua affectus ipfius veluti fubftantia omnis fenfus eva-  
 „nerit. Neque vero injucundum fimul eft exemplum quod  
 „Botallus memorat, de viro aliquot fupra 70. annos haben-  
 „te, qui tunc etiam moleftiffimæ efflorefcentiæ fcabiofæ ex-  
 „pugnationem, fola VSnis per aliquot annorum decurfum,  
 „ut importunis fuaforibus obfequeretur omiffæ, repetitio-  
 „ne, affecutus, fimul memoravit auctori, quod, cum adhuc flo-  
 „rente ætate paulo frequentiori æque, atque largiori, fanguinis  
 „miffioni induliffet, omnino ab aliquot Medicis denunciatum  
 „ipfi fit duplex ab his aufibus periculum; matura vifus debi-  
 „litatio & vitæ abbreviatio: cujus tamen contrarium non fo-  
 „lum ita deprehenderit, ut fine ulla perfpicillorum neceffi-



„tate vegeto utatur visu & quidem ad hoc jam satis longæ æ-  
 „tatis spatium provectus: sed nominatim etiam illi ipsi medi-  
 „ci contraria ipsi augurati, multo juniores jam pridem mor-  
 „tui sint.

XXXIX.

Quemadmodum autem dissimulari utique non potest, quod omninò ad has res satis animadvertendas, & usu, & observatione, *Praxeos*, opus sit; Nisi quod etiam extra propriam praxin, solum in ipsâ veluti quotidiana *conversazione*, affatim occurrentia harum rerum exempla, abunde instruere curiosam talis observationis mentem possint: Ita valet hoc utique multo magis, de alterius illius quæstionis seu dubitationis objecto; nempe *Hæmorrhoidales evacuationes*, & eminentiores harum *apparatus, reprimendi, libero*, aut contra *periculoso* cœpto atque instituto. Omninò enim pronior hic est imperita speculatio, uti propemodum semper, ut ad omnes *potentias*, faciles sibi atque proclives fingendas: Ita etiam ad credendum, quod illi, ipsi corpori inditi, &, ut corpori, additi, *actus, nisus*, atque *motus*, ad omnia *sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, horsum, vorsum, quaqua versum, agenda movenda, pellenda* sed modo non *trahenda*, & promptissimi sint, & liberrimi. At profectò, si illis vel, cum Delphico idolo, *numerus esset notus arenae*, ignorare necesse haberent, nisi à solidæ experientiæ dictamine, *inexpugnabilem* illam *obstinationem intentionis* atque *destinationis*, etiam è quantumlibet *longinquo*, respicientis, ad *fundamentalem* hujusmodi, (& *multorum, proluxiorum, laboriosiorum*, & tamen *incertiorum*, aliorum *tentaminum*, tam necessitatem, quam utilitatem, longe post se relinquentem,) verè *prophylacticam*, EXONERATIONEM perpetrandam. Quod certe propositum, ut *eventus æque*, atque omnis *Theoreticus respectus*, consultum prorsus, & optimis finibus quadrans, ostendit; Ita *invicta* ejus, (quoque modo, *mediate* aut *immediate*, ad ultimum effectum perducendi,) *pertinacia*, multò plus parallelismi utique habet, cum *Animi* in hac *ætate* habitu, circa hoc objectum in  
 gene-



genere, nempe quorumlibet propemodum, nedum evidentius rationabili bono eventui idoneorum, *consiliorum*, velut inextinctam *tenacitatem*, & semper repullulantem *recordationem*, atque exsequendi *desiderium*.

XL.

Quibus utique respectibus, judicioso, atque veræ *activitatis* *Oeconomix vitalis* perito Lectori, facile dilucescere potest, quem usum habere possit, tam, *opportunus*, & bene discretis circumstantiis respondens, *missionis* *sanguinis ventilatorix* verus *usus*, imo aliquando *necessitas*: Quam circumspectissima, atque plane peritissima, *observatio* atque *conservatio*: Imò (quoad possibile sine temerariis & in experientia non fundatis, ausibus,) *evocatio* aut *revocatio* FLUXUS HÆMORRHOIDALIS. Omnibus autem modis, ego certè Præses, rerum harum, quantum satis esse possit, experientia edoctus, fideliter monitos volo, atque dehortor, omnes Medicinam facientes, ut illam, speculatione quidem certam, sed Praxi mirificè periculosam, opinionem, dimittant, quod, *cum Fluxus Hemorrhoidalis etiam ipse, aliquid utique haberi mereatur ab exquisita s. n. constitutione in contrarium deflectens: propterea ipsi resistere, non solum justum & æquum, sed etiam tanquam strictiore æstimatione Medicæ, debitum atque necessarium sit.* Sicut enim jejuna illa, scholastica, disputatio, de eo quod homini, *ut rationali*, competit, in *statu* ita intellectæ, nempe *perfectæ & inviolabilis* Rationis, (tanquam solum cerebrino & nusquam inveniando,) nihil nisi tempori & halitui oriosè disperdendo inservit; Ita certè in administratione atque successibus *œconomix animalis*, & administrationis ejus *vitalis*, usque ad ultimum vitæ halitum, sanitatem *ad stateram* exigere, coeptum sit, ut à re ipsa ejusque successu juste sperando, ita etiam insuper à tali, qualem perita atque prudens experientia spondet *Artis Medicæ potestate*, alienissimum: Et nimio passim consultius sit, peritorum in rebus humanis, consilio auscultare, *inter duo mala minus eligendo*; quam in illud imperitorum in iisdem rebus, ingens offendiculum



lum impingere, *bona intentione, sed mala inventione, quod ait Comicus, Malum querere.*

XLI.

Iterum itaque iterumque, laudamus omninò, dextrum, & solerti peritiæ conformem, *usum, etiam artificialium sanguinis ventilationum*; Ubi quidem alias jam adfuetis; si incommoda talia jam persentiscere incipiant, *continuationem* talium, etiam ita *necessariam* indicimus, ut ab *ejus omissione*, si vel maximè *repetitio USUM* insignem non promitteret, certiora tamen damna prædicamus: Omni modo vero, decenti indicationi adhibitas tales ventilationes, illud eximii commodi habituras, polliceamur, ut reliqua *Medicamenta*, constitutionibus talibus idonea, tanto *certiorem* usum & effectum sortitura sint. Dum, ex aduerso, à neglectu decentis hujusmodi *subordinationis*, etiam bona *in suo ordine* medicamenta, revera sæpissimè bonos effectus tales, qui, ut *in subordinatione*, demum expectari debebant, reverà frustrentur atque irritos reddant. Id quod, ubicunque *Sanguinis misio* locum habere potest, eodem modo certum est, adeoque considerationem prudentem meretur.

XLII.

Quando verò ita, per *quantitatis*, & quomocunque jam velut affectatæ *exonerationis*, conveniens moderamen atque sublevationem, occasionibus, ad suscipiendas qualescunque obstinatas *intentiones* atque *contentiones* prospectum est; Erunt jam omnia reliqua facilia, & ceu sponte proniora, tam ad correctiorem humorum *crasin* instruendam: quam, in primis, hoc ipsum perpetrandum, methodo, œconomix vitali non magis ordinariâ solum, quàm revera etiam unicâ: tam convenientissima, quam efficacissima; Nempe *ordinariarum* debitarum *secretionum & excretionum*: Quibus, dum *aliena & inutilia* eliminantur, convenientibus *justæ craseos* reparationibus *nutritivis* locus ita paratur & via sternitur. Unde quidem etiam proximum locum omnino sibi vindicat, commendanda pro *senilium* Affectuum felici *præservatoria* tracta-



statione, cura atque cautio, ut omnium rerum *non naturalium* bonum regimen, ad *secretiones & excretiones*, in libero & expedito suo successu conservandas quoque modo idoneum, quavis circumspectione atque cura, ordinetur, & omnino administretur: Nihilque hic *neglectui* indulgeatur, tanto minus, quanto propiores iam videntur esse res, per individua, *deterioribus* eiusmodi constitutionibus & progressibus. Nequaquam autem hanc intentionem, in hac ætate, ulla ratione contemptim, & quod aiunt insuper, haberi velimus; quandoquidem *experientia* constans æque, atque sanæ *rationis* dictamen, firmissime hoc adstruunt, & stabiliunt, quod præcautiones huiusmodi, in hac ætate, partim necessitatem *artificialium* subsidiorum passim præoccupent: dum ipsos morbos affectus & effectus revera *anticipando* amoliuntur: partim autem, iam necessaria hinc inde *Artis* præsidia, ita potenter suffulciant, iisque *sociam* operam iungant, ut ipsis negligentius habitis, etiam *bonarum* de reliquo medicationum, nullus felix successus expectationi respondeat. Certe enim, licet in qualibet ætate, & plerisque affectibus, felicissima, imo passim unice necessaria, sit illa *methodus*, quæ ad *subordinationem excretionum*, quaslibet *alterationes* dirigit: Ita est certe in senili ætate, huiusmodi vigilantia tanto magis necessaria, postquam hic spontanea illa *alacritas*, quantumcunque ad obsequium dispositis *materiis*, *excussiones* ipsas, vividis motibus atque modis persequendi & absolvendi, quæ in iunioribus viget, hic magis magisque friget, & ad minimum qualicunque potius *exsuscitatione* indiget, quam ut *oscitantia* veluti suæ, aut ulli neglectui, temere relinquatur & veluti prodatur.

XLIII.

Illustrat hoc, quod ita asserimus atque commendamus, ipsi vulgo quoque nota experientia; dum segnities variarum, & nominatim ipsarum *alvinarum* exonerationum, quæ factis familiariter etiam à *voluntario* quasi neglectu & desidia huius ætatis patientium, jam initia, jam incrementa, sumit, nunc



ad excitandos, nunc fovendos, imo exacerbandos, tales affectus inserviat, qui non solum, ut *in se*, familiarius impendunt senibus; sed etiam eius sunt indolis atque ordinis, ut ut pluribus aliis initia præbeant: aut *consensualibus* talium successionebus, primum stimulum obiciant. Quale quid luculenter sese manifestat, in consecutionibus, quæ *alvi*, tam *segnitiem*, quam *obortam* inde *siccitatem*, in hac ætate familiarissime stipant; Inter quas nempe eminent, 1.) *Flatulentia*, tum aliis variis ataxiis *appetitus*, quietæ *concoctionis*, tranquillæ *distributionis*, & *consensibus* in distans, ad ipsum caput: tum *torminosis* symptomatibus, quamplurimum favens: 2.) *Necessitas* affectandorum fortiorum *conatuum* voluntariorum expressiorum; quibus iterum *torminosa*, aut alia circa *Venam Portæ* turbulenta, satis promte vero etiam *tenesmodea*, & tanquam per *externam* vim incussa, *Hæmorrhoidalia* consecutaria, vestigia legunt.

XLIV.

Certè vero commendanda omnino venit iterum atque iterum hæc ipsa animadversio, de intentius instituendo atque ordinando aptissimo usu rerum *Non naturalium*, in ordine ad secretiones & excretiones. Ubi è vera *Physiologico Medica* Theoria, *mechanico-organici* habitus humorum, tam ad generalem sui *progressum* seu *circuitum*, quam ad *speciales successus* secretorios, memoriter notam esse oportet efficaciam bene ordinati *Motus* corporis *voluntarii*; Cuius nempe legitimus usus, iustissima subordinatione, veluti naturali, supplet, quicquid e quocunque *languore* aut *inertia* motus *pulsorio-tonici*, bonæ subactioni massæ humorum ad necessariam expeditam *fluxilitatem*, & consequenter, secretiones atque excretiones expeditas decedit. Unde quidem certissime *Medicum* prorsus haberi debet illud consilium, ut senibus quolibet modo dissuadeatur *desidia* illa, cui per pandemiam falsam opinionem *exoptandæ quietis*, sich zur Ruhe zu begeben und in seinen alten Tagen etwas zu gutsche zu thun/ nimium quantum sponte favent Senes, adeoque



que suavioribus, imo vel exactioribus omninò opus habent.

XLV.

Non, inquam neglectim hæc talia haberi usquam convenit, aut integrum solum est. Unde etiam *temperantiæ* in cibo & potu, admonendi omnino sunt senes. Ea tamen cum moderatione, ne Diæta simpliciter *mollior*, scrupulosè illis præscribatur: sed potius, quicumque etiam *duriori* victui, non solum adsueti sunt, sed illo etiam delectantur, & sine velut evidentibus, & certò illis assumtis imputandis, incommodis, talia tolerant, iis commendata solum moderatione, ingenua quædam libertas circa hæc relinquatur: tanto magis autem proportio *motus corporis*, ad istiusmodi usus, tanto diligentius commendetur atque exigatur.

XLVI.

Ita quidem non, uti trivialis fert usus, ultimo quasi loco DIÆTÆ ordinationem attingere, placere nobis potuit; cum naturali ordini longe magis consonum agnoscamus, potius, quæ *præcautioni* malorum eventuum quam plurimum inserviunt, & exquisitiorem omninò observantiam atque usum merentur, primo loco commendare, quam simpliciter à MEDICIS intentionibus commendandis ordiri. Sicut enim maximo jure, tam circa motus corporis, quam assumenda alimenta, commendavimus, nimium *mollis* demum introducendæ assuetudinis dissuasionem: Ita nemo peritus vitio nobis vertet, si etiam circa *medicationem* senibus adhibendam, non solas justo vehementiores atque turbulentas *amethodias* dissuadeamus; sed omnino etiam, quantumlibet alias *utiles* Medicinas, earumque *usum*, ita prudenter *temperandas* esse asseramus, ne per *assuetudinem* subsidiorum adscititiorum, propriæ *activitatis*, vel desidia quædam atque negligentia, vel planè quasi consulta quædam *abstinentia*, magis magisque ita adsuefiat, ut deinde, quando Medicamenta aliquandiu negliguntur, *spontaneorum* vividorum concursuum adsuefactus neglectus, certa deinde incommoda post se trahat. Quæ cau-



tio tantum abest, ut è *speculationibus* fortasse profluere reputari mereatur, ut potius vulgo nota sit hujusmodi offendiculi, varia, & velut usitata, mala efficacia.

XLVII.

Sicut autem aliarum Medicationum, tam justo *frequentiore*, quam etiam quocunque respectu minus verè necessarium, usum, merito dissuademus; ita nequaquam tamen etiam appositam, atque recte *tempestivam* talium administrationem, ullo modo negligendam consentimus, nedum ut autores simus. Inter talia verò omninò primum ordine, & præcipuum etiam dignitate, locum, non dubitamus assignare, *artificialibus* etiam illis, de quibus jam locuti sumus, *ventilationibus* atque *exonerationibus, sanguinis*; etiam sub indicationibus, si non exquisite quasi *flagitantibus*, tamen sufficit, si nihil contrarium, & verè *prohibitorium*, objicientibus: Certi nempe, & à satis perpensa *experientia* securi, quod non solum nullum detrimentum, sed longe certius *commoda* & utilitates, & *certe* & *magne* inde sperari possint. Cum vero porrò, naturali etiam usui conformis sit, *lentorum* feroforum exoneratio & proscriptio è corpore, per *secessum*, cum *alvinis* recrementis; senibus autem hi ipsi *lento*res, quàm maximè imminuant atque metuendi sint: Non expedit solum, sed necessarium quoque passim haberi meretur, ut non solum *spontanei* harum exonerationum successus, nusquam negligantur; verum etiam, opportunis subsidiariis *promotionibus*, atque modestis *provocationibus*, eousque subleventur, ut tanto magis, si quid *inusi*tati sentiatur, (sive circa illarum *successum* non satis respondentem, sive circa horum ipsorum humorum alicubi molestias facessentem *redundantiam*,) leni *admonitione* ad has vias exoneratorias incitetur Natura, ut *extraordinarie* quantitati, etiam proportionatis *extraordinariis* expulsionibus, occurrat atque satisfaciatur. Quod quidem tanto utilius fieri posse, facile est comprehendere, si evacuationes tales subleventur atque facilitentur conjuncta mox, aut prævia aut interposita, *epicrasi*. Qua quidem etiam ratione tanto melius satis-



fatisfit, vero ingenio totius periodi senilis: quando nempè potius *successivis*, & concinnè *subordinatis*, *tranquillioribus* & *moderatoribus* educationibus, negotio fatisfit, quam ut *repentinis*, & quasi *tumultuariis*, inprimis autem *fortioribus*, & veluti *rudioribus*, *exstimulationibus*, simul & semel, *motus* provocentur: dum interim revera sæpe numero *materia* ipsa nondum sit ita ad successum speratum habilis atque disposita, ut illi recte obsequi valeat: & non potius frustra-  
neum tantisper reddendo, concitatum ita *impetum*, familiares huic eidem ætati circà moralia objecta, spem, & inprimis laborem insuper, frustrantia, fastidiosos *languores*, etiam circà *vitalium* actuum prosecutiones, postea oboriri sentiamus.

XLVIII.

Cum autem veritati Practicæ, cum vera animi applicatione ac intentione invigilantibus, satis utique nota sit incertitudo illa, quæ circà vulgò dilaudatam efficaciam plerorumque remediorum *Alterationis* nomine celebrium, respondente deinde practicis necessitatibus veritate passim sese exserit: cogitandum tanto magis hinc est cuilibet, quidnam è multis, ad *prædisponendos* atque *educendos lentiores* serosos humores ita quadrare possit, ut etiam satisfaciat præconceptæ spei atque formatæ justæ intentioni, per verum effectum desideratum. Ubi nos quidem nequaquam illi nos mancipamus obligationi, ut etiam *pharmaceuticas* tricas hic enodemus: cum à nobis nihil aliud exigi possit, nisi ut *Therapiam*, QUID agendum sit constitutionibus Affectuum senilium justa proportionè respondens, expromamus: nullo vero jure, ut ultima, (& inprimis juxtà triviales commemorationes abundantiam potius, quam inopiâ, perplexitatem aliquam objicere apta,) *media* seu *instrumenta*, recenseamus. Interim placet tamen ut è plurimis, aut plusculis etiam, cujusque experientiæ se commendantibus, justo atque ordinato usu, profutura his intentionibus & effectibus, nominemus paucissima,

XLIX.

Notus est ingens passim numerus eorum remediorum,

E 3

quæ



quæ tenaciorem humorum constitutionem, ad fluxilitatem disponere, partim creduntur, partim sentiuntur. Nos ex illis unum solum aut alterum, præ reliquis, laudamus, Radicem communis herbulæ, *Pimpinellæ albae umbelliferae*; &, dextro, atque decenter moderato, usu, potentem de reliquo, *Squillam*; herbas *antiscorbuticas*: aut Infusa illarum, cum propriis spiritibus *abstractiis*, (aut è viridibus Herbis, vino aliquamdiu ad submersionem infuso, & deinde in spiritus formam abstracto, paratis.) Imo Aquam talem spirituosam, *Veronicae*, cum vino ad fermentescentiam maceratæ, destillando deinde, donec dilutissima & nullum spirituositatis notabile prædominium offerens, sed tamen odore atque sapore eminentis, spirituosæ & aquosæ concursu, exiverit. E Gummi resinis, *Ammoniacum*; parciore vero usu *Galbanum*, parciissimo, *Myrrham*. Neque tamen etiam efficacia, nequaquam contemnenda, *resolutoria* seu *attenuatoria*, cum *evacuatoria*, polleere dissentimus, ipsum etiam *Agaricum*, in Infusionibus, aut leniter inspissato Extracto, pro *variatione* formularum, adhibitum. Radix etiam *Ari*, tempestivo usu, non deest suis usibus: In magis phlegmaticis, (etiam ab ipso habitu seu temperamento) largior usus *Zingiberis*: imò *Capsici* seu vulgo dicti *Piperis Indici*, inprimis aceto conditi, uti passim in maritimis emporiis prostat, tanquam in acetariis, laudabili effectu pollent. Omnia verò valdè *acria*, eo maxime nomine magis suspecta haberi, aut certè benè dispensari & administrari debent, ut magis destinentur *frigidioribus*, jam ex universo habitu, quam vel adhuc, vel alias, floridiore temperamento potitis.

L.

Inter ipsas autem *Evacuationes*, promptum nimis & audacem usum *Vomitionis*, senibus non sine causa dissuademus. Cum enim *Atoniæ flatulentæ* expositi sint Senes, & quidem non tam æque, ut vulgaris fert opinio, per *frigesactionem* ventriculi, à *pituitosis frigidis* humoribus simpliciter; quam, multo certius & familiarius, à *spasticis* musculationibus, propter varias circa *Venam Portæ* instruendas *motitationes*, emicantibus,



bus, quæbus per acerbiorem *stimulationem* fortioris motus, nequaquam recte consulitur aut satisfit, sed potius novæ turbæ objiciuntur: sequitur inde certè facillè eventus summopere heteroclitus & contrarius, ut *Flatuum motus*, qui nimio tolerabilius ad *inferiora* dirigi debebat, ad *superiora* revocetur. Qui certe solus affectus, à nobis observatus est in numerosis exemplis, eas turbas & molestias objecisse, ut ordinem efficiendi non animadvertentes, miras aliquoties opiniones circa *causas* talium accidentium confingere necesse haberent: sine ullo usu, aut solida ratione. Egit de his pluribus D. D. Præses in Disput. propria de *Flatulentia*.

LI.

Sicut autem in genere, nihil *impetuosum* senibus conducit, aut usquam tolerabile est; ita etiam *Evacuationes* per *alvum* quanta fieri potest *lenitate* & *modestia*, promovere aut evocare potius, quam exstimulare, conducit, imò necessarium potius est. Tantò magis in subjectis, quæ quocunq; modo *sensibilitatem* insignem, aut universum *langvorem* atque *debilitatem* jam præ sese ferunt. Unde quidem jam laudatæ *Laxationes* per *epicrasin*, in forma *Infusorum*, *Vini Medicati*, commodissime offeruntur, aut *Pilulæ temperatæ*, (cavendo tamen ab *Aloë*,) parva mole & quantitate; quæ ea dosi, ut bis vel ter per diem laxent, *repetendo* per plures, continuos, aut alternos, dies, optime hic se gerunt: Ubi v. g. *Extracta Absynthii*, ubi præsto est, *Cichorii Radicum*, *Fumariæ*, *Gentianæ*, *Centaurii Minoris*, cum ipso *Extracto Panchym. Crollii* ita sociari possunt, ut parva dosi, viij. ad X. granorum, Laxationem, ad duas, tres sedes, nempe pro diversa sensibilitate individuum, efficiat. Quod proinde ita ad quæsitam *Euphoriam*, non tam solum tolerantia, quam etiam bonæ efficacæ Medicæ, profequi conveniet. Cæterum, ubi reliquæ circumstantiæ conspirant & consentiunt, tam in *flatulentis* importunis, quam ipsis denique *Colicis*, casibus, *Clysterum*, usus, *emollientium*, *lubricantium*, atque *mitigantium*, plurimum conducit.



*Stimulationes* autem, & aliæ, & inprimis *Aloëtice*, quin etiam nimis frequens aut largus usus *Gummi-resinarum*, vitari debet: utpote *tenesmis*, imò altioribus moribus *torminosis*, quasi *Hæmorrhoidariis*, ansam præbens.

LII.

Vt aliàs omni ætati, ita etiam senili, liberior *Transpiratio*, bono suo successu quàm plurimum conducit; qualibuscunque autem defectibus, non levia in contrarium incommoda, imò pericula objicit: Ita est etiam hujus bonus atque legitimus successus non ultima ex illis rebus, ad quarum providam conservationem, & omnis detrimenti evitacionem intenti esse debeant senes. Inprimis autem commendandam illis habemus, justam considerationem ac opinionem, & proinde etiam observationem & executionem, illorum *sudorum*, qui senescentibus aliquando spontè eveniunt: Maximè verò, post *primum somnum*, aut post *mediam noctem*, imò vel demum *tertiâ hora post mediam noctem*: & quidem præcipuè circa *æquinoctia*, aut sub ipso decursu demum *veris ac autumnii*. Quibus nempè, si patientes tales placidè indulgeant, iisque simpliciter progressum suum ita concedant, ut solum non *impediantur*, licet non æque positivè etiam *promoveantur*; inservit hæc tolerantia plurimum, ad *præcavendum duplex* aliud incommodum, & posterius quidem tam in se ingens, quàm pluribus pejoribus successibus viam quasi pandens. Quorum nempè *primum*, est, statarius atque diuturnus *languor*, tam *animalium* motuum, sub schemate sensus multæ & constantis *gravitatis*, corporis, & inprimis artuum; quam in *vitali* classe, *appetitus*, *concoctionis*, *excretionum*, *quietis*, *variæ fastidiosæ* turbationes. *Alterum* autem importunius erumpit, in *congestionem* atque *restagnationem Rheumaticam*, *Rheumatico-artriticam*; & perplexam talium *titubationem*, ab exterioribus ad *interiora*, non sine periculosioribus subinde ulterioribus consecutionibus. Sicubi vero etiam, cum maturo iudicio, è re videatur, hujusmodi Naturæ satis usitatum institutum, apud alios *imitari*; prudenter certè res gerenda est, ut

omnes



omnes reliquæ ordinariæ excretiones, alvi, urinæ, quin ipsius transpirationis in ordinario sui gradu, in expedito antea sint, imo vel alvina illa, & per eam mucositatis serosæ, largior aliqua ventilatio præmittatur: tum etiam quicquid ad lentorum æque atque tartaræ falsuginis serosæ (quæ in arthritico-rheumaticis Urinis sese sistere solet,) correctionem & educationem confert, illi prius prospectum sit, antequam ejusmodi etiam Diaphoretica commotio, & inprimis modestè repetenda, in usum trahatur.

LIII.

Manuducit nos veluti hæc res ad dicendum aliquid, de usu Balneorum atque Thermarum pro Senibus. Nisi præparatum sit optime corpus, & benè adeo conspirabile redditum, deductum etiam quantum fieri potest, sic cuicumque dyscrasie sensibili humorum; quin etiam, ubi vel minima adest indicatio, sanguinis ventilatio præmissa: ibi propior certè est incommodis inducendis, quæ vero sperari possent, iis non exhibendis, usus talium Balneorum. Siquidem etiam internus Thermarum usus, nisi tam materia, quam via, bonæ æquabili & pura vola satis aptatae sint, facilè inducit inæquales decubitus, restagnationes, gravitates rheumatodes; cum molesta illa nec unquam etiam contemnenda, facili extrorsum introrsum convertibilitate, plurimum, quam quidem vulgo creditur, aliorum heteroclitorum schematum, architecto. Ubi nempe non negligendæ sunt illæ vulgi nostratium expressiones: Es schlage oder liege so große Müdigkeit in denen Gliedern,, seyen ihnen Bley schwer,, es gehe etwas an ihnen umb,, habe schon lang am Leib herumgezogen,, sich endlich da oder dorthin feste gesetzt,, oder seye gegenwärtiger innerlicher Zufall (usque ad Febres Acutas inflammatorias, aut ad minimum satis acres Catarrhales, aut Cholericas &c.) darauf erfolget/ &c. Vere tamen vix aliis Senum, securiùs uti integrum est, Balneis naturalibus, inprimis paulo fortioribus, quam iis, qui adhuc satis vivida atque valida sunt constitutionis. Et habenaliter constituti, quod metuant de succedentibus tumoribus; inprimis



mis *spongiosiores*: quales tamen propemodum propriissime sunt ii, qui incommoda senii familiaris subeunt.

LIV.

Quamvis autem in aliis ætatibus, *diureseos* usus, tanquam subintentione aliqua destinatus, non æque in multam considerationem veniat; meretur tamen certe in senili ætate ita respici, ut ad minimum sensibilibus *defectibus* spontaneorum successuum, consiliis & auxiliis idoneis, velut vigilantius prospiciatur. Cavendo interim à temerariis, *acrioribus*, aut *heteroclitis*, *stimulis*; quibus frequentem, atque largiorem, usum *Salium volatilium*, merito annumeramus. Quæ vero, sub efficacia etiam seri *lento* corrigendi, qualemcunque inclinationem ad *urinae* expurgationem promovere valent, illa habent commodiorem locum: ut *Ari Radix*, *Pimpinella alba*, *Vincetoxicum*; *salia media vitriolico-alcalica*: imo, nemini senum metuendum, *Nitrum*. Conservando interim semper, *sociam* quasi, imò vel *præviã*, libertatem etiam *alvi*: & omnes intempestivas atque præcípites *proturbationes* ad *Diuresin*, prudenter evitando.

LV.

Ut vero etiam aliquid, secundum tamen filum nostræ tractationis magis ut in genere, de Affectibus senilibus, *Therapevsi* iusta tractandis, ut in *subalternis* speciebus, dicamus, distribuemus illos per classes quasdam. Ita, qui *capiti* accidunt, ut eminens *Hæmorrhoidalia*, aut utcunque *Hæmorrhoidica*, fundamenta sequuntur; ita certè *præservationi* subservit etiam, prudens usus *ventilationum* sanguinearum. Quando vero *Catarrhales* restagnationes repræsentant affectus tales, (quæ tamen nisi de totius *Massæ sanguineæ congestoria stagnatione*, non procedere, nempe *secedere*, possunt:) habet præcipuum usum, & quidem præsentiosem, dextra administratio tolerabilis *purgationis*. Subjunctis tandem, quæ *Catarrhalem* resolutionem atque discussionem, certius promovere valent.

LVI.

Valet quidem idem omninò, etiam de *pectoris* affectibus apud Senes; Interim illud adhuc, quantum experientia com-  
pre-



prehendimus, monendum habemus, quod *Asthmaticæ* ferociiores & obstinatior *contentiones*, multum usum assequantur è sanguinis *ventilatione*: Qualis, si ullo modo jam usurpari *suevit*, (aut *scarificationes* etiam) in ejusmodi subsecutionibus non potest negligi, sine magnis impedimentis, imo certius frustratione, boni, & certissimè quidem *constantis*, effectûs reliquæ curationis. In qualibus etiam casibus, monemus eos, quibus obtingit spectatores potius quam actores talium rerum esse, animadvertere, quid per inconditum usum *salium volatilium*, ad hujusmodi constitutiones, impetrari sentiat. Ubi nempe non solùm, quid *statim*, commodè aut incommodè succedat, observare juvabit: sed etiam quid de tempore in tempus *subsequatur*, in melius, aut deterius, & tandem certiores *Tumores*. Meritò vero etiam dispicere necesse fuerit, quid fortassis in uno aut altero patiente etiam actualis *assuetudo* prægressa, *Hæmorrhoidalis* evacuationis, posthac autem deficiens, ad præsentem aliquam talem *pectoris* angustiam, aut intimiorem quoque læsionem, conferre potuerit? Cum tam in *virili*, quam *fæmineo* sexu, notissima sit *pectoris* multiplex angustia, post *mensium*, & *Hæmorrhoidum* retentiones. De qua re etiam aliquid innuit *Rhodius*, in Observ. suis, sub Titulo: *Phthiseos, per reserationem Hæmorrhoidum sublatae*. Alias autem habet hic etiam usum *Evacuatio Cathartica*, prudenter repetita.

LVII.

Quæ vero circà *præcordia* & *ventriculum*; *Hypochondria*, in primis *sinistrum*: *Epi- & hypogastrium*, torminosis schematibus: *flatulentia* importuna: *tenesmodea* pathemata: *diarrhoeæ*; aut contra, *siccitates* alvi, imo & *stricturæ*: aut *Choleriodes* exacerbationes, *siccæ* aut *humidæ* &c. Senibus obtingunt, non manifestius ab externis incitamentis subnata; Illa exigunt utique prudentem relationem atque collationem, ad *Hæmorrhoidales* respectus & *apparatus*: cum *intermediis* suis, *spasticis* contentionibus, & horum omnium variis phænomenis. Quibus proinde rebus conveniunt 1) *Ventilationes sanguinis* consentientes; 2) mitès atque placidæ promotiones evacuationum *alvinarum*, per *Lenientia*, *Incidentia*, *Abstergentia*,



*Clysteres*: & denique etiam *Tonica* potius, quam cujusquam alterius generis *Anodyna*. Quibus nempe scopis, jam supra nominata aliqua, & tandem etiam *temperata* alia quaedam *aromatica*, & inter hæc *Cortex* vulgo *Chacarille* dictus, connumerari merentur. *Acriora* enim seu vulgo dicta *calidiora aromata*, licet in *substantia*, & *moderato* in primis usu, senibus non æque inutilia sint; aliter tamen se res habet cum *separatis* atque *concentratis activioribus* eorum partibus: ut *oleis destillatis*. De quibus *acrius* calidioribus, sanguinem quoquo modo *impetuosè* potius & *inequaliter*, quam *placidè*, commovere & exagitare aptis, illud utique asseveramus quod senio tantundem, quàm aliis etiam ætatibus præsertim jam ad p. n. *sensibilitatem* deductis individuis, facile damni conciliare possint.

LVIII.

*Rheumatico-artriticis* accidentibus, frustra adhibentur *alterantia*, *discutientia*, *catarrhalia*, maxime omnium, autem, *nervina*: ut pessimè omnium, *anodyna*: nisi optimè *preparatum* sit corpus. Antè omnia verò succurritur iisdem, ubicunque aliquid *Hæmorrhœicum* per vestigari potest; tali scopo satisfaciendis promotionibus sanguinearum *ventilationum*: &, (quod quidem sub *preparatione* corporis, nomine solo tacta, comprehenditur,) lenium *Cathartico-Diureticarum*: Illud autem præjudicium maximoperè dissuademus ad animum admittere, quo, vulgatissimo more, multis talibus, circà *ventriculum* & *intestina*, turbis, assignatur, tanquam causa, *frigida* intemperies horum viscerum: Cum potius, cum varia *sensibilitate* reciproce conspirans *toni* & *atonie* variatio, incusari mereatur: Hanc vero longe magis *sanguinis* *restagnationes* & *congestionem* circà has partes, (*splenico-gastricam* venarum sodalitatem, imo *hæmorrhœoidalem* rãnum, ejusque dependentias,) foveant, quam ullum aliud, intus in intestinis contentum.

LIX.

*Ischiadico-Podagricis*, jam pleniorẽ sui formam adeptis, affectibus, sed tamen adhuc *nuperius* natis, nisi, post  
ge-



generaliores *sanguinis* ventilationes, specialior *Hæmorrhoidalis* exoneratio, aut per *Hirudines*, cum omni dexteritate applicitas, eductio, præcipuum solamen, & totius curationis fundamentum, præstet, reliqua certò inutilia erunt. Ubi etiam quàm maximè cavere jubemus, à *Narcoticis* internis, & *repellentibus* externis. Quid vero, quod etiam sincerior *mitigatio*, jam *contumaciorum* horum affectuum, sine talibus *sanguinis* ventilationibus, frustra expectetur. *Hæmorrhoidalium* autem, evidentiorum *apparatum*, nedum *exituum*, quaslibet imperitas, inprimis autem *repressorias*, reformationes, tanquam certissimam in deterius ruinam machinantes, seriò dissuademus.

LX.

*Apoplexia*, *Hemiplexia*, *Paralysis* vera, in senili corpore, rarissimè *palliationem* aliquam admittunt, aut *primæ* illæ saltem, *diuturniorem* dilationem, quin *mortem* pedissequam habeant. Quicquid in his, à vanis opinionibus, & tralatitiis, perpetua interim experientia irritis, tentaminibus alienum, sed tam experientiæ, quam rationi magis consentaneum, bonæ spei, foveri potest, illud consistit ante omnia, in *preservatione* quæ longe certissimè, spontaneis, jam adfuetis *hæmorrhoidalibus*: aut *artificialibus sanguinis exonerationibus*, magis, quam ulla alia re obtinetur: quamlibet utique etiam aliarum *debitarum excretionum*, legitima & solertior promotio atque conservatio, nequaquam negligi debeat. In ipsis autem jam præsentibus, eventibus talibus, *veræ*, iterum dicimus, *Paralysi*, & penitiori *Hemiplexiæ*, nedum *Apoplexiæ*, ne quidem in *viridi* senio aliquid certæ spei restat: nedum in *languidiore*, jam *annosiore*. Si tamen *intemperantia* aliqua propius prægressa, aut *incontinentia* circà frigus, inprimis *præcordiis*, & calente reliquo corpore, admissum: quod vehementes *vertigines*, non huic solum, sed etiam propiori adhuc ætati, suscitatur, è ventriculi consensu, præcesserit, quin etiam alias ut in incipiti casu, habet quidem locum provocatio *Vomitus*: sed tamen præmissis, si modo fieri possit, aut certe adjuncto, etiam *Clystere*, & quidem, non inepta antiquiorum observantia, *acriore*. Ubi vero *colorata* simul comparet facies, & vasa circa tempora *turgent*;



ibi quidem *Venæsectio*, & *larga* præterea, nequaquam omittatur: quanquam eadem, etiam extra hoc phœnomenon, tamen plus spei boni eventus foveat, quam ullius detrimenti. Idem etiam statuimus, de vero *Catarrho suffocativo*, foeminis quam viris familiariore: nempe, ut *sanguinis eductio* in usum trahatur; non autem æque, vel *vomitus* vel *acres Clysteres*; sed potius lenior *alvi* apertio, *pectoris* autem veluti subtiliter aperitiva & resolutiva, liberatio, magis peragatur per *tenuia* talia *resolutivo-bechico-Diuretica*, quibus bono jure eminente loco accensemus *Radicem Pimpin. Umbelliferae*: Cujus *Radiculæ Essentia*, egregiam efficaciam habet in ejusmodi, asperam arteriam atque pectus obsidentibus, *Catharrhalibus* restagnationibus, irritationibus, & jam op-pletionibus, jam stricturis, si nuda, sine vehiculo, ad plusculas guttas, XX. XXX. aliquoties per diem, deglutiatur. Remittente verò *Catarrhi suffocativi* primo impetu, mixtura è duabus partibus *causticæ Tincturæ alcalicæ*, cum una *spiritus C. C.* usum non obscurum præstat; bis ter per diem, à XXX. ad XL. gtt. Sicut etiam ipsa talis *Tinctura*, non neglecta interim *alvi* etiam reseratione, in *Paralytodeis*, & *Apoplexia* metum obiicientibus, *vertiginosis* affectibus *recentioribus*, bonum effectum præstitisse plus semel observata est.

LXI.

Pro Conclusionem pauca dicere in mentem venit de *Dieta fenum calidiore*; occasione dicitur illius usitati: *Vinum, Lac Sennum*. Vbi nempe equidem prudentem usum *condimentorum aromaticorum*, cibis, auxilio aliquo tali egentibus, adhibendorum, omni ætati utilem magis quam noxium judicamus: tantò certius autem *Senibus*, utilitatem certam exhibere, certi plane sumus. Commendamus autem, iterum dico, *temperante* usu, *Zingiber*, & perperam nimie caliditatis inculpatum, *piper*, quod potius *fermentationem*, statim & subit & juvat, in ipso ventriculo. *Sinapi* etiam, & nostrates *herbulæ culinares*, cibis incoqui solitæ, usum certum præstant. Neque vero *Salis*, ad debitum moderamen, sufficiens usus, negligendus: *Aque* vero *spirituosæ*, ex *aromatibus*, aut *acribus* penetrantioribus *Radicibus*, *Herbis*, *seminibus*,



*abstractæ*, nunquam certè, nisi quidem longè moderatissimo, & verè *Medico*, usu, quidquam commodi potius, quam incommodi, pollicentur: Utpote longe certius *Massam humorum ad lentorem* disponendo, quam speratam *attenuationem* iisdem conciliando. *Vinum* autem ipsum, bonum potius, atque purum, quam valdè forte non utique male conducit Senibus; ante omnia tamen *adsuetis*. Interim, quibus etiam *spirituosiora* placent, iis præferendum censemus haustum boni alicujus, & ante omnia quidem *sinceri, vini exotici, dulcis: Hispanici, Canariensis*, imò modo *ingenui, Gallici. Hungarica* Generosiora, commovent valde sanguinem; modestè tamen usurpata, nec ipsa nullam laudem merentur. Ab immoderatiore autem, & ad *ebriositatem* usque, & tanto magis inter *esculentas* oppletiones ventriculi, in abusum deductum vinum; & quibus præterea senibus non benè facilè dedit *Urina, humidorum*, inprimis autem talium *acriorum*, assumptæ *quantitati* satis parallela, illis omnis largior vini generosi usus, certius, gravius, & diutius, turbat caput: & sternit eo ipso aditum, ad frequentiores hujusmodi *congestiones* atque *restagnationes* ad hunc locum, *Vertiginosas, catarrhales, sensibus superioribus inimicas, fauces, pectus*, imò & *ventriculum* ita obsidentes, ut inde locutio illa vulgi processerit: Es sene ihm der Fluß in den Magen gefallen. Qualibus deinde rebus, sub *calidiorè* diæta obortis, nihil alienius est, quam subvenire etiam velle remediis *calidioribus*, pro *capite, genere nervoso, ventriculo* roborando, *frigido* ventriculo refocillando, *pituitosis* humoribus concoquendis: Cum ibi peritus usus *Nitri*, (in substantia inquam,) sed adhuc peritior interventus, laudatæ illius *Tincturæ alcalicæ*, imò *dilutiones, evacuationes, & stagnationum avocationes*, quicquid hic fieri possit & debeat, unice præstent: Et eo ipso etiam proprium patientium consilium, per *spirituosa* sibi consulendi, certius fovendo imò augendo malo, inserviat, quam in ordinem redigendo.

LXII.

Quæ vero communi opinione, aut ex aliqua etiam parte verius, affectibus ut *singularibus* conveniunt, de iis, uti non propriè postulat nostri instituti ratio, prolixè sermocinari; Ita commendamus



damus tantò magis, ut decenter expendatur nostræ huc usque deductæ tractationis, verus *nervus*: qui in eo unicè consistit, ut nunquam quidquã speretur bonæ, & in primis *constantis*, efficaciam, circa hujusmodi Affectuum *specialiores* medicationes: Nisi & certa, & dextra, consideratio atque tractatio, *conspirationis* illorum ad alios *generaliores* & quasi *fundamentales*, sed tamen hoc ipso etiam firmissimum *nexum* servantes, & fovendo magnoperè concurrentes, & scitissimè, & peritissimè, reflectatur atque dirigatur. Hac enim sola ratione, in hac ætate, ad *spontaneas vividiores* vindicias œconomiam suam, plus minus inerte & effœta, adeoque *artis solatia*, sed tamen ordini consulto potius, quam *turbulentis* tentaminibus subnixâ, expectante: *irritas* autem, *multas*, & *varias* etiam, *Artis obturbationes*, magis magisque *fastidiente*, *tranquillioribus* autem successuum œconomiam suam expeditio-nibus atque sublevationibus mirè gaudente, assequi omninò licet speratos usus, & desideratos bonos effectus impetrare.

Minimè vero quidquam horum, sine & Mentis, & Consilii directione, & operis solida ad felicem effectum deductione, à Divinæ benedictionis Omnipotentis adspiratione. Cui proinde, ut omnia nostra opera in acceptis referimus atque commendamus, ita etiam perpetua ejusdem præsidia, nobis, aliisque, sincerè desiderantibus, devotè exoptamus & exoramus.

SOLI DEO GLORIA.

